





R R P




83

H.






























JACOBI MARTINI

*Professoris Academici,*

3

LOGICÆ  
PERIPATETI-  
CÆ PER DICHO-  
MIAS IN GRATIAM  
RAMISTARUM  
RESOLUTÆ

LIBRI DUO.

*Quintò editi distinctiùs, emacula-  
tiùs, auctiùs.*



WITTEBERGÆ,

Ex officina Mülleriana, Sumptibus  
Zachariæ Schureri, Anno

---

M. DC. XXII.



JACOBI MARTINI

Prof. fori Academici

LOGICAE

PERIPATETI-

CAE PER DI CHOTO-

MAZIN GRAMM

RAMISTARUM

RESOLUTIONE

LIBRI DUO.

Quintae editionis correctio

et auctio

WITTEBERGAE

In officina Typographicae

Joannis Schöneri Anno

MDCXXII

1  
D  
C  
T  
1  
2  
3  
4





ILLUSTRISSIMO, GENE-  
rosissimoq; Principi ac Do-  
mino,

Dñ. AUGUSTO,  
DUCI SAXONIÆ JULIÆ,  
Cliviæ, & Montium: Landgravio  
Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti de  
Marca & Ravensburg: Domino in Ra-  
venstein, &c. Domino suo Cle-  
mentissimo.



*D*E IMPERFE-  
ctione scientiæ, quæ  
in hominem doctum  
cadere potest, Illu-  
striss. Dux AUGUSTE, Princeps  
clementissime, non sine justâ & gravi  
causâ conqueruntur Philosophi: quum  
verissimū sit illud Aristotelis, animos  
A 2 nostros



nostros bebescere perinde, ut cali-  
 gant τὰ ὄμματα τῶν νυκτερίδων πρὸς  
 τὸ μεσημερινὸν φέγγος. Unde quoque  
 saepenumero contingit, quod ocu-  
 latissimus Scaliger ait, ut similes si-  
 mus Vulpecula à Ciconia invitata,  
 quæ lambat quidem exteriora, sed  
 interiora attingere non valeat. Cu-  
 jus difficultatis ratio hæc esse vide-  
 tur, quia ἢ αἰσθησις nostra est scientiæ  
 principium: deficiente enim sensu,  
 scientia quoque ipsa deficit. Accura-  
 ta porro ἔστω ad liquidum explorata  
 veritas, quia sensibus exposita non  
 est, sit, ut quàm remotissimè à no-  
 strâ cognitione sejuncta sit, ἔστω in  
 profundo quodam ignorantia no-  
 stra puteo per lapsum primorum pa-  
 rentum, demersa subsidat. Neq; e-  
 nim veritas ita adscribi potest re-  
 bus,



bus, ut percipiatur sensibus: quòd ea, que extra mentem existunt, non simpliciter vera sint, sed pro certis conditionibus, pro certo loco, aut certo tempore, vera dicantur, & tanquam simpliciter verorum eivòves habeantur. Unde crassum illud genus ingeniorum quod nihil esse putat, si quid non statim manibus apprehendatur, Plato meritò, tanquam propbanum, à Philosophia mysteriis arcendum statuit. Talis illi visus est Diogenes, qui ipsum de Ideis & formis, & inter alia de Cyatbeitate & Mensitate disputantem audiens, dicebat, se Cyathos quidem & Mensas videre; Cyatbeitates autem & Mensitates non videre. Sed Plato contra regressit; Diogenem oculos sanè, quibus Cyathi & mensa videntur,



tur, habere: mentem, quâ Cyathetates, & mensitates cernuntur, non habere. Et rectè quidem vir hic divinus: quandoquidem formæ rerum non corporis oculis, sed mentis acie, quarum scilicet τὸ πνεῦμα, quod Mercurius Trismegistus ait, proprium est, cernuntur. Quia verò, uti diximus, Mens naturali caligine cecutit; inventa est Logica, que tenebras illas dispellat, & in eâ ignem ad clarè perspiciendum, & verè iudicandum accendat: ignem, nimirum illum (ut in fabulis est) quem Prometheus Minervæ auxilio è cælo deportavit, ejusq; vi hominis recens efficti pectus animavit. Hoc enim igne accenso clarissimam faciem Mens accipit, quâ per obscuras barbariei tenebras & intricatos Sophistarum laby-

laby-



labyrinthos tutò transmittit, ne-  
bulisque obscuritatum, & fallacia-  
rum profligatis, liquidissimam veri-  
tatis faciem aspectat. Unde rectè  
Logica, legitima & sana artium,  
atq; disciplinarum quasi regina que-  
dam suo jure celebratur; quippe  
que sola, Cicerone teste, Sulpitium  
tantum jurisconsultum effecerit,  
queq; ut Melanchthon autor est, in  
Ecclesia ex Pauli admonitione, ver-  
bum DEI οὐδὲ ῥωμῆν sciat, & totius  
deniq; Philosophiæ censuram, quasi  
agat, ac principatum tantum non  
possideat. Quocirca levissimo mo-  
mento facile fiet, ut hac disciplinâ  
corruptâ, omnes omninò scientiæ  
pari fato miserè corrumpantur. Cu-  
jus tamen generis exempla indignis-  
sima atq; importunissima in omni-



bus disciplinis depravandis conta-  
 minandisq; R A M U S truncâ illâ  
 & spuria suâ Logicâ edidit, dum ex  
 futili & maximam partem inani  
 praeceptorum applicatione, nescio  
 quas pueriles & mancas & monstrosas  
 artes nobis supposuit, atque ita  
 per tot secula probatam, explica-  
 tam, confirmatam & propagatam  
 germanissimam Philosophiam mise-  
 ris modis deformavit. Nec facile  
 dictu est, juvenus incauta & im-  
 provida quàm in Rami haeresin pro-  
 clivis sit, ut non aequè Paris suam  
 Helenam, atque hi Rami Logicen ad-  
 ment. Quo magistro quum nihil al-  
 liud quàm Aristotelem in ordinem  
 redigere, traducere, calumniari  
 discant, mirum non est, si scioli isti,  
 homunciones infelicissimi, doctrine  
 & sa-



DEDICATORIA.

Et sapientie partes, verum non sine maximo iuventutis malo, sibi solis superbissime arrogant.

Memor itaque professionis meae, mearum partium esse existimavi, sedulam et diligentem in hoc dare operam, ut et hic studiosa iuventus recta illa et regia via ad eruditionem germanam perducatur, et ne umbram pro corpore arripiat, nubem pro Junone. Praeter lectiones igitur et disputationes publicas et privatas, has quoque tabulas logicas colligere, et per dichotomias disponere placuit, si forte hac etiam ratione ad veram ac seriam Philosophiae investigationem cognitionemque invitari nonnulli possent.

Hoc autem quicquid est operis, Celsitudini tuae, AUGUSTE, Prin-

A 5

ceps



ceps Illustrissime, ideo dicare atque  
 offerre volui, ut quorum studiorum  
 fructus uberiores olim Tibi debentur,  
 eorum quales quales primitias sub be-  
 nignissimo patrocinio tuo natas, pri-  
 mus in clientelam tuam acciperes. E  
 Museo Cal. April. Anno M. DC. III L

Illustriss. Celsit. T.

devotus cultor

Jacobus Martini.



Arce





Ἀναγκασιωτάτος.

IN NOMEN

CLARISSIMI ET EXCELE-

ntissimi Viri,

Dn. M. JACOBI MAR-

TINI, LOGICES IN ACADE-

miâ Leucoreâ Professoris cele-

berrimi, præcepto-

ris sui.

MAGISTER JACOBUS MARTINIUS.

TU MAGNIS ARTIBUS ES AMICIUR.

**P**Rorsus ita est, vulgo, cui mens est terrea, bilis  
RES SOPHIA est, nuga nugarum, fabu-  
la aniles,

Quam nuce vix cassâ redimat vel tresse minuto.

Morus ego, morer hæc si vulgi dicta, bilance

Quod nihil exactâ rationis ponderat: immò

Ignorat penitus, quid distent æra lupinis.

Quid tu? PHILOSOPHÆ mulsa ô Cbari-  
tëia Peithûs,

Quin & THEOLOGÆ corclum sapidissi-

um &, extra

lubidiam, nostri palmaria fama Lycei?



12.

**Tu verò MAGNIS ES AMICIOR AR-**  
**TIBUS, atq,**

*Mitior, Ardome dónq, bonus ; quod ruper apertis  
Clarat ubiq, tubis. Atq, hinc te gloria curru  
Ebebit aurato serumq, reponit in abum.*

*Scilicet indigenas simul antipodasq, replere.*

*Clara solet VIRTUS, divi licet undiq, duris*

*Liberis stimulis & dente petatur acerbo.*

*Perge in candidulo hoc, velut ad juga Thessala  
Pindi,*

*Florida colliculo prabere cubilia Musis.*

**Scriptus ab**

**M. Henrico Julio Strubio VVolfen-**  
**byt, Saxone.**



**Liber**





Liber Primus.

DE SYLLOGISMO

ABSOLUTE ET COM-  
muniter conside-  
rato.

SECTIO PRIMA,

De

Prædicabilibus.

---

CAPUT I.

DE DEFINITIONE

Logices.



Logica (a) est habitus (b)  
intellectus (c) Instrumentari-  
us, (d) mentis nostræ discursus  
informans, (e) ut ipsa ve-  
rū & falsum discernere possit.

SCHOLION.

(a) Logica vox à dialecticâ distinguitur. Illa

47

501175



totum disciplina corpus, hac partem potius significat eam, quæ nostris est Topica. Neque ratione res caret. Nam ad λόγον, à quo denominatur Logica, propius accedit τὸ λογίζεσθαι, latiusq; patet, quàm τὸ διὰ λέγεσθαι.

(b) Logica substantia non est: Ergo accidens. Non verò Quantitas, non Relatio, aut aliquid ex reliquis Categorijs. Qualitas igitur. In qua tamen nullum obtinebit locum, nisi sit aut potentia naturalis, aut habitus. De naturali ratiocinandi potentiâ nullus hic locus. Non eam quarimus, sed supponimus; ejus non scripta, sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum à naturâ matre arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Relinquitur igitur, Logicam hanc, quam definimus, Habitum esse.

(c) Est Habitus intellectus: quia tradit sciendi præcepta. In quo igitur subiecto sunt scientiæ, in illo etiam est Logica: Atqui hæc in intellectu sunt: Ergo & Logica ibi est.

(d) Instrumentarius habitus est Logica, & quidem κατ' ἐξοχλήν. Servit enim Philosophiæ servitutem verè nobilem, in docendo sciendi modo, quem clarissimè profitetur.

(e) Informat Mentis discursum Syllogismo, qui internus Logicæ finis, & primarium Logi-



cum Instrumentum est, ad quod, tanquam ad centrum, referuntur cetera à Logico fabricata. Veritatis instrumenta omnia.

(f) Docet discernere verum à falso. Logice finis duplex est: Internus, qui Syllogismus, & presertim ἀποδείξις, ἢ μὴ τὴν ἐπισημῶν: Et externus, qui est veritas. Hic enim scopus est, hic finis Logice primus & postremus, ut veritatis sit in disciplinis sive trutina, sive lapis quidam Lydius. Si tamen scopum à fine cum Gal. libeat distinguere, sanè licebit pro scopo veritatem Logico prefigere: pro fine veritatis adeptionem. Quia vero externus hic finis est, eum non semper consequimur: Et tamen

Est aliquo prodire tenus, si non datur ultra.



## CAPUT II.

De divisione Logices, & partis communis generalibus subdivisionibus.

**L**ogica habet duas partes: Communem & Propriam. (a)

Pars communis communia & universalia de Syllogismo exponit, prout ille ad quamvis materiam aptari possit.

Finis



Finis itaque hujus partis est, generalis Syllogismi constitutio.

Constitutio Syllogistica aut consideranda est in principijs Syllogisticis, absolutè & per se sumptis: aut in ipsâmet Syllogisticâ structurâ.

Principia Syllogistica, quæ Noëmata secunda dicuntur, vel sunt simplicia vel composita.

Simplicia considerantur aut formaliter, aut habito respectu ad materiam certis generibus distinctam.

Formalis consideratio est in prædicabilibus: altera, quam materialem dicere possumus, in Prædicamentis.

### SCHOLION.

(a) Secari solent scientiæ perinde ut res, de quibus agunt, vel circa quas sunt occupata. Versatur autem Logica circa omnes res, quæ necessaria, vel contingentes, vel saltem apparentes sunt. Iam si præcepta Logica cum rebus illis compares, apparebit evidenter, alia rebus illis in universum esse communia; alia cujusq; propria. Atque ex hoc fonte promanant due hæ partes Logica: Generalis & universalis una; specialis atque particularis altera.

CAPUT



## CAPUT III.

*De Prædicabilibus in genere.*

**P**rædicabilia sunt tituli sive classes, quibus  
 seu gradibus simplicibus, res, sive simpli-  
 ces rerum notiones primæ, & in prædicamen-  
 tis collocatæ, distinguuntur, & ostenditur,  
 quæ, quomodo de alijs prædicari possint.

Prædicabile est aut illius, quod constituit  
 essentiam rei, de quâ prædicatur; aut est il-  
 lius, quod extra essentia constitutionem con-  
 sistit.

Prædicabile quod rem constituit, aut di-  
 cit totam naturam aut partem.

## CAPUT IV.

*De specie.*

Prædicabile, quod totam naturam dicit,  
 dicit eam vel confusè, vel distinctè.

Quod totam naturam distinctè dicit, est species.

Species est, quæ collocatur sub genere,  
 & cui genus attribuitur in quid, & ipsa et-  
 iam differētibus numero attribuitur in quid,  
*Ut quid est Petrus? est homo. Quid est homo?  
 est animal.*

Species pro duplici respectu, dupliciter  
 dividitur (a) vel est subalterna: & specialissima:  
 vel subjicibilis & prædicabilis.

Subal.



Subalterna est, quæ modò est genus, modò species: ut *animal* respectu corporis est species, respectu hominis est genus.

Specialissima est, quæ nunquam fit genus, ut *homo* respectu Petri, Pauli, &c. manet species.

Subjicibilis est species, quæ tantùm ut species, subjicitur, & nunquam prædicatur, atque talis species est subalterna.

Prædicabilis est, quæ non tantùm subjicitur, sed etiam prædicatur, & talis species est intima sive specialissima.

Prædicatur autem hæc species de Individuis, quæ sunt fundamentum totius prædicamentalis ordinationis ad certas ὑπάρξεις circumstantias, locum potissimum, & tempus determinata, ut *Petrus, hic homo.*

### SCHOLIION.

(a) *Habet enim species duplicem respectum. Vel enim consideratur ratione ordinis, quem habet in arboribus prædicamentalibus, atque hoc respectu dividitur in subalternam & specialissimam: vel consideratur ratione ipsius prædicationis, quæ in ordine isto fundata est: quo respectu dividitur in subjicibilem & prædicabilem.*

### CAPUT V.

### De Genere.

*Prædi-*



**P**Rædicabile quod totam naturam confuse dicit, est Genus. (a)

Genus est, quod pluribus & differenti-  
bus specie attribuitur in quid.

Genus est vel summum sive generalissi-  
mum, vel subalternum sive intermedium.

Genus summum est, ultra quod ascendere  
non potest, ut *substantia, quantitas, qualitas,*  
&c.

Genus subalternum est, quod coincidit  
cum specie intermediâ, nempe quod respectu  
inferioris est genus, respectu superioris est  
species, ut *animal respectu corporis est species,*  
*respectu hominis est genus.*

### SCHOLION.

(a) Genus totam essentiam confuse dicit; quia  
non re, sed ratione tantum à specie distinguitur,  
Est enim ipsa species, sed indeterminata: deter-  
minatur vero & limitatur per differentiam speci-  
ficam. Deinde partis quoque rationem habet genus  
in relatione ad speciei definitionem, nempe cujus  
pars est: constat enim illa genere & differentiâ  
specificâ, tanquam partibus: atque tum in pro-  
portione illud forma, hac materia rationem ha-  
bet.

CAPUT



## CAPUT VI. De Differentiâ.

**P**Rædicabile dicens partem rei, est Differentia.

Differentia in genere dicitur, quâ alterum ab altero distinguitur.

Hoc fit dupliciter, vel accidente vel formâ essentiali.

Quæ accidente differunt, differunt vel accidente communi, vel proprio.

Quæ accidente communi differunt, *κοινῶς* differre dicuntur Porphyrio: quando nempe alterum ab altero *ἐτερότητι*, id est, varietate, vel etiam à se ipso quoquo modo distat: ut *Socrates à Platone*, aut *Socrates puer à Socrate viro*; *operans ab otioso*.

Quæ accidente proprio differunt *ιδίως* Porphyrio differre dicuntur, quando nimirum alterum ab altero inseparabili accidente differt. Sic *cygnus differt à corvo*, quatenus hic est niger, ille albus.

Quæ formâ differunt, dicuntur *ιδιαιτῶς* differre, nempe quæ differentiâ specificâ distant. Sic *rationale differt ab irrationali*, ut *homo ab equo*. Atq; hæc differentia est maximè propriè differentia: & vulgo *specificæ* dicitur.

*Canones.*

I. **Omni differentia commune est, efficere**

re



re, ut res inter se variæ sint. Quæcunque enim differunt, sunt varia.

2. Differentia specifica non tantum rem diversam efficit, sed etiam planè aliam: ut *Rationale* non tantum hominem alium efficit à bruto, sed etiam facit esse aliud animal.

3. Sola differentia specifica speciem efficit: Unde etiam nomen accepit. Sic *rationale* additum *animali*, speciem humanam constituit: quandoquidem homo nihil est aliud, quàm animal rationale.

4. Differentia specifica in definitione speciei ponitur, cæteras definitio respuit: Ut *homo* definitur animal rationale.

5. Differentia specifica ponitur in divisione generis: per alias verò differentias non fit essentialis divisio generis. Ut rectè dividitur animal in rationale & irrationale: non rectè, si quis dicat, animalium alia esse alba, alia nigra, alia medij sive mixti coloris.

## SCHOLION.

Differentia etiam dividitur in separabilem & inseparabilem. Illa est omninò accidentalis: nihil enim aliud est, quàm accidens separabile, ut *sedere*: Hac partim essentialis est per se, partim per accidens. Hac iterum nihil aliud est



est, quàm accidens inseparabile, ut nigror corvi: Illa est ipsa rei essentia, ut rationale est essentia hominis. Quare differentia separabilis, est differentia communiter dicta: inseparabilis accidentalis est proprie dicta: inseparabilis per se, sive essentialis, est maxime proprie dicta.

## CAPUT VII.

## De Proprio.

SEquuntur prædicabilia, quæ extra rei essentiam consistunt: quæ aut essentia constitutionem immediatè consequuntur, & dicuntur propria: aut Essentia tantummodò accidunt, & dicuntur accidentia communia.

Proprium est vel perfectum, vel imperfectum.

Proprium imperfectum est, quod imperfectè cum sua Specie recipitur.

Imperfectum est vel per se proprium, vel tantum collatione alterius & secundum quid.

Imperfectum proprium per se, aut est proprium primi modi, aut est proprium tertij modi.

Proprium primi modi est, quod soli alicui speciei accidit, licet non omni ejus individuo: Ut habere actum medicina.

Proprium tertij modi est, quod convenit soli



soli speciei & omni ejus individuo, sed non  
semper, ut *canescere, actu, flere, ridere.*

Proprium secundum quid & collatione  
tantum alterius, est proprium secundi modi.

Proprium secundi modi est, quod acci-  
dit omni speciei Individuo, sed non soli, ut  
*esse bipedem*, dicitur hominis proprium respe-  
ctu quadrupedum.

Proprium perfectum, quod & maxime  
proprium & proprium quarti modi dicitur,  
definitur, quod uni soli speciei & omnibus  
ejus individuis semper convenit, & pradi-  
catur in quale sit, ut *risibile in homine.*

## CAPUT VIII.

### *De Accidente.*

**A**ccidens Porphyrio dicitur, quod potest  
adesse & abesse stante subiecto.

Accidens est vel separabile vel insepa-  
rabile.

Separabile est, quod & cogitatione & re-  
ipsa a subiecto separari & removeri potest, ut  
*albedo in pariete.*

Inseparabile est, quod quidem ratione  
& prædicatione, non autem re ipsa a subje-  
cto separatur, ut *albedo à Cygno*: Et negata  
albedine de Cygno, non statim negatur Cy-  
gnus. Atque hæc sunt quinque illa Prædicabi-

lia,



lia, quæ vulgo sic numerari solent: Species,  
Genus, Differentia, Proprium & Accidens.



## SECTIO SECUNDA

### De Categorijs.

#### CAPUT I.

#### *De Protheorijs in genere.*

**F**ormalis simplicium Noëmatum conside-  
ratio hætenus fuit: sequitur nunc mate-  
rialis supra nobis dicta, quæ est in prædica-  
mentis.

Prædicamenta sunt classes, ex quibus pri-  
mò materies prædicationis depromitur.

Vnde intelligitur, quòd universam Logi-  
ces materiam contineant.

Prædicamentorum consideratio est du-  
plex: Altera consistit in Protheorijs, altera  
in Categorijs ipsis.

Protheoriæ sunt *προθεωρησια*, quæ  
prædicamentorum originem & fundamenta  
generaliter monstrat.

Protheoriæ vel agunt de essentia Catego-  
riarum sive Entis Categorici; vel de ejus af-  
fectionibus.

Protheoriæ in Entis Categorici essentia  
occupa-



occupatae, aut definiunt Entis illius genera-  
lem naturam, aut dividunt.

## CAPUT II.

*De Definitionibus.*

**E**Ntia, quæ definiuntur, sunt vel prima vel  
a primis orta.

Prima sunt vel ὁμώνυμα vel σιω-  
νυμα.

Homonyma sunt Entia, quorum nomen  
duntaxat commune est, ad illud verò nomen  
accommodata definitio est diversa.

Synonyma sunt, quorum nomen est idem,  
& ad nomen illud accommodata definitio  
prorsus est eadem.

Entia à primis orta sive inflexa, dicuntur  
denominativa, græcè παράνομα, &  
sunt, quæcunq; ab alio ita ut casu differant,  
nominis appellationem habent, ut à Gramma-  
tica Grammaticus.

## CAPUT III.

*De Divisionibus.*

**P**rotheoriae, quæ dividunt, dividunt vel  
τὰ λεγόμενα, vel τὰ ὄντα.

Λεγόμενα sunt, vel complexa, vel  
incomplexa, B In,



Incomplexa sunt nudi termini, abstracti sumpti, ut *homo*.

Complexa sunt vocabula composita, quæque in uno prædicamento collocari non possunt, ut *albus: homo currit*.

Τῶν ὄντων quædam sunt in subiecto Physico, quædam non sunt in subiecto Physico.

Illorum, quæ sunt in subiecto Physico, quædam de subiecto Logico non prædicantur, ut sunt *accidentia singularia*: quædam de subiecto Logico prædicantur, ut *accidentia universalia*.

Illorum quoque, quæ non sunt in subiecto Physico, quædam de subiecto aliquo Logico dicuntur, ut *substantia universales*: quædam de nullo subiecto Logico dicuntur, ut *substantia prima sive singulares*.

SCHOLION.

End



<p>Vel est</p>	<p>Substantia.</p>
	<p>Non est in subiecto.</p>
<p>Vel est</p>	<p>Accidens.</p>
	<p>Est in subje- cto.</p>
<p>Vel est</p>	<p>Universale.</p>
	<p>Dicitur de subiecto.</p>
<p>Vel est</p>	<p>Particulare.</p>
	<p>Non dicitur de subiecto.</p>

Ens

CAPUT IV.

*De Regulis Antepredica-  
mentalibus.*

**A**ffectiones predicabiles exprimuntur  
duabus Regulis.

Prima: Cum alterum de altero dicitur  
tanquam de subiecto, quicquid dicitur de  
attributo, dicitur etiam de subiecto, ut homo  
dicitur de individuis, nempe Platone & Socrate:  
animal de homine: Ergo animal quoque de Pla-  
tone & Socrate dicitur.

B. 2

Secun-



Secunda: Ut subalternorum generum nihil prohibet easdem differentias constitutivas esse: Sic eorum, quæ genere differunt, & quorum unum altero non continetur, differentia quoque sunt specie diversæ.

## CAPUT V.

*De Categoriâ Substantiæ.*

**D**E protheorijs hæctenus: sequuntur Categoriæ ipsæ.

Categoriæ vel considerantur in suâ essentiâ & affectionibus proprijs: vel in generalibus conditionibus, ex diversis prædicamentis fluentibus & consequentibus.

Categoria sive prædicamentum, supra definitum, est vel Substantia vel Accidens.

Prædicamentum substantiæ est substantiarum ordo, quo per genera & species disponuntur.

Substantia est, quæ per se subsistit.

Substantia aut formaliter sive Logicè, aut materialiter sive Physicè consideratur.

Formaliter considerata, est vel Prima, vel Secunda.

Prima substantia est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, ut, *hic homo, hic equus.*

*Secunda*



Secundæ substantiæ sunt, sub quibus sunt primæ substantiæ, nempe species & genera, ut *homo, animal.*

Atq; hæc divisio omnibus quoq; accidentalibus prædicamentis competit.

Substantia ut noëma primum, sive ut Ens reale, sumpta, & quidem generaliter & latissimè accepta, est vel Increata & Infinita; atque ad intellectum nostrum non proportionata, ut *Deus*, qui propterea ad prædicamentum hoc propriè loquendo, non est referendus: vel est creata & finita.

Creata & finita est, vel incorporea sive spiritualis, vel corporea.

Spiritualis est vel Determinata ad aliud, quod informat, ut *anima rationalis*: vel Absoluta, ut *Angeli*, qui sunt vel boni, ut *Gabriel*, vel mali, ut *Beelzebub*.

Corporea est vel Simplex, vel Mixta.

Simplex vel à mixtione aliena, ut *corpora cælestia*: vel ad mixtionem ordinata, ut *Elemēta*.

Mixta substantia est, vel imperfectè mixta, ut *fumus*  $\alpha\delta\pi\nu\textcircled{C}$  & *ἀναζωϊασις*: Unde meteora generantur: vel perfectè mixta.

Perfectè mixta est, vel Inanimata, ut *lapides, Gemme, Metalla, &c.* vel Animata,

Animata vel non sentiens, ut *Planta*, vel sentiens.



Sentiens vel Irrationalis, ut *bos, leo, &c.* vel Rationalis, ut *homo.*

*Canones sive Proprietates Substantiarum:*

1. Commune est omnibus substantiis, non esse in aliquo, ut in subjecto.
2. Substantiæ secundæ & differentiæ univocè prædicantur de subjectis.
3. Solæ substantiæ primæ significant hoc aliquid, hoc est, individuum per se subsistens, in suâ specie perfectum.
4. Substantia nulla alteri contrariatur.
5. Substantia non variatur gradibus, sive non recipit magis & minus.
6. Substantia eadem numero permanens, potest in se contraria accidentia recipere.

CAPUT VI

*De Quantitate.*

**F**uit Substantiæ prædicamentum: sequuntur Accidentis Categoriae.

Accidens est Ens, quod & essentiam & existentiam à substantiâ & in substantiâ habet: nec per se extra substantiam subsistit.

Acci-



Accidens est vel absolutum, vel rela-  
tum.

Accidens absolutum est, quod naturam  
habet absolutam, atque adeò simplicem confi-  
derationem absque ullo respectu ad aliud ex  
se gignit.

Absolutum est vel Quantitas vel Quali-  
tas.

Quantitatis prædicamentum est ordo  
quantitatum, quo per sua genera & species  
disponuntur.

Quantitas est qua aliquid vel magnum,  
vel quocum dicitur.

Quantitas est vel continua sive magnitudo,  
vel discreta sive multitudo.

Quantitas continua est, cujus partes com-  
muni termino ἀδιαίρετως copulantur, ut par-  
tes lineæ in puncto.

Quantitas continua est, vel prima, vel a  
primâ orta.

Quantitas continua prima est extensio so-  
lius corporis, & est vel incompleta, vel com-  
pleta.

Incompleta est, quæ omnes dimensio-  
nes non habet, & est vel Longitudo, & di-  
citur *linea*; vel latitudo, & dicitur *superfi-  
cies*.



Linea est longitudo sine latitudine & profunditate.

Superficies est latitudo sine profunditate.

Completa quantitas est, quæ omnes tres habet dimensiones, & dicitur *Corpus*.

Quantitas à primâ orta, est vel *Tempus*, vel *Locus*.

Tempus est mensura motus secundum prius & posterius.

Locus est superficies corporis, continentis locatum.

Quantitas discreta est, cujus partes nullo communi termino inter se combinari possunt sed perpetuò discernuntur: sunt enim à se invicem secretæ atq; sejunctæ.

Discreta est vel successivorum & permanentium simul, ut *numerus*: vel successivorum tantum, ut *Oratio*.

Numerus est multitudo ex unitatibus collecta.

Oratio hoc loco est interna prolationis syllabarum mensura in correptione, & productione consistens.

Canones sive proprietates  
quantitatis.

1. Quantitati nihil est contrarium.

2. Quan-



2. Quantitas non recipit magis & minus.
3. Omni & soli quantitati proprium est, æquale & in æquale esse.

## SCHOLION.

Quantum omne constat aut ex partibus situm vel  $\text{ἴσῳ}$  habentibus, quæ permanentes monstrari possunt, ubi in toto suo sint sita, & cum quibus partibus cohereant: Aut constat ex partibus non situm, sed duntaxat  $\text{ἰσῳ}$  habentibus, de quibus monstrari non potest, ubi sint posita in suo toto, & cum quibus partibus cohereant; sed ordinem tantum prioris & posterioris inter se habent. Ut linea, superficies, corpus, locus, sunt quanta sive quantitates prioris generis: quia partes illorum habent  $\text{ἴσῳ}$ : Numerus verò, oratio, tempus, sunt quanta constantia ex partibus,  $\text{ἴσῳ}$  inter se non habentibus, sed  $\text{ἰσῳ}$ .

## CAPUT VII.

## De Qualitate.

**A**lterum absolutum prædicamentum accidentale, est Qualitas.

Qualitas est secundum quam aliquid quale esse dicitur.

Qualitas aut est Potentialis, aut Actualis.

B s

Quali-



Qualitas potentialis est dispositio sive affectio, quâ aliquid dicitur aptum vel ineptum ad agendum vel efficiendum.

Qualitas potentialis est vel Acquisita, vel Congenita.

Qualitas acquisita, dicitur Habitus.

Habitus est qualitas, non naturâ nobis innata, sed exercitatione comparata & acquisita, cujus beneficio certius possumus agere ea, ad quæ agenda natura non erat inepta.

Habitus est vel incompletus, & dicitur speciali nomine *Dispositio*: vel Completus.

Dispositio est talis motus determinatio, quæ facile mutari, & ad contrarium vergere potest.

Habitus completus, qui propriè habitus, & generali etiam nomine Virtus dicitur, est qualitas, longâ exercitatione comparata, & perfecta, unde tam firma est, ut tolli planè nequeat, nisi maxima fiat mutatio: quod de quodam Oratore ferunt, qui post vehementem morbum proprii nominis non meminerat.

Qualitas congenita est, quæ per naturalem complexionem innata est.

Qualitas congenita, est vel Potentia naturalis: vel Naturalis. Impotentia.

Poten.



## DE FORIIS.

**P**otentia naturalis est qualitas cōgenita, à naturali complexione indita alicui, per quam illud ipsum redditur naturaliter potens ad aliquid agendum, vel alicui resistendum. Ut *Duritia* est naturalis potentia, per quam res dura non facile dividitur. Durum enim facile resistit secanti, & difficulter secatur.

Naturalis impotentia est qualitas congenita, & à naturali constitutione indita, per quam ipsum illud, cui inest, redditur naturaliter impotens, ad aliquid agendum vel alicui resistendum. Ut *Mollities* est impotentia naturalis propter quam res mollis potest facile dividi. Molle enim facile secatur, & *αδυναμία*, hoc est, imbecillitatem habet ad resistendum secanti. Notandum hic est: quod eadem qualitas diverso respectu utrumque nomen sortiatur. Ut eo modo, quo jam dictum est, *Duritia* dicitur naturalis potentia & *Mollities* naturalis impotentia. Alio verò respectu *Mollities* potentia est, quatenus nempe Molle dicitur facultatem & potentiam habere ad recipiendam sectionem. Et *Durities* impotentia est: quatenus Duram dicitur habere imbecillitatem ad hoc, ne secetur.

Qualitas actualis est, quæ actu in rebus est & in sensu incurrit.



Qualitates actuales sunt vel internæ vel externæ.

Internæ, ut *πα. ἰντιγγὺ ποιότητες*, patibiles qualitates, & *πα. ἰν* passiones. Licet nonnullæ in extimâ quoque superficie spectentur, ut colores; tamen & intus sunt, ut aliæ in corporibus, ut *albor, nigror, dulce, amarum*, aliæ in animis, ut *amentia, iracundia, &c.*

Externa qualitas actualis est, quæ in extimâ tantum spectatur & consistit superficie, & dicitur Forma ac figura, quæ vel naturalis vel artificialis.

### *Canones & affectiones qualitatum.*

1. Qualitates inter se sunt contrariæ: & si duorum contrariorum alterum est in hâc Categoria, necesse est alterum quoq; ad eandem referri. Velut si *Justitia* est Qualitas: & *Injustitia* est Qualitas.

2. Recipiunt magis & minus.

3. Secundum qualitates res similes & dissimiles dicuntur.

### CAPUT VIII.

#### *De Relatis.*

**A**bsoluta fuerunt: sequuntur Relata.

Relata in genere sunt, quæ ad alia referantur.

Relat



Relata alia sunt perfecta, alia imperfecta:  
quæ absolute relata nonnullis dicuntur. (a)

Perfecta, propriè Relata dicuntur.

Relata, propriè ita dicta, sunt, quorum essentia nihil aliud est, quam ad aliud esse affectum.

Relatio itaque est duorum pluriumve unio, quæ consideratur in fundamento & termino.

Fundamentum est materiale relationis, in quo immediatè relatio inest, & ex quo immediatè oritur.

Terminus est correlativum, ad quod tendit & refertur terminaturq; relatio.

Relatio est vel  $\kappa\tau\iota$  φύσιν, naturalis, vel  $\kappa\tau\iota$  θέσιν, positiva.

Naturalis, quæ naturaliter in rebus est, ut relatio inter patrem & filium.

Positiva est, quæ ex instituto vel divino vel humano: Magistratus, subditus: preceptor, discipulus &c.

### Canones & affectiones Relatorum:

I. Relativa generaliter dicta, inveniuntur inter se contraria, virtus & vitium, scientia & ignorantia. (b)

Relatorum generaliter dictorum, quædam



dam recipiunt magis & minus, ut simile, dissi-  
militate. (c)

3. Omnia relativa converſim alia alio-  
rum esse dicuntur, ut *ſervus eſt Domini ſervus,*  
& *Domini eſt ſervi Dominus.* (d)

4. Omnia relata, ſi verè & propriè aſſi-  
gnentur, ſunt ſimul naturâ. Quædam verò  
non ſunt ſimul naturâ; quia non ſunt propriè  
aſſignata, ut *ſcibile & ſcientia.* (e)

5. Cognito uno relatorum, cognoscitur &  
alterum. (f)

## SCHOLIUM.

(a) Notetur etiam, quòd relata aliàs duobus  
modis ſumantur. Verbotenus, ſive ſecundùm dici:  
& Reipſa ſive ſecundùm eſſe. Secundùm Dici rela-  
ta ſunt, quæ quocunq; modo referuntur. Hæc Ca-  
tegoriam non conſtituunt. Nam Categoria con-  
ſtituuntur ex eo, quod res ſunt, nõ ex eo, quod di-  
cuntur: Ita ſcientia Qualitas eſt, quambus verbo-  
tenus referatur ad ſcibile. Item partes ſubſtan-  
tiarum ſunt in Categoria ſubſtantia, licet verbo-  
tenus referantur ad totum. Secundùm eſſe relata  
ſunt: quorũ eſſentia tota eſt in relatione ad alte-  
rum conſtituta; & hæc prædicamentum certum  
officiunt.

(b) Affectio hæc tantùm relatis ſecundùm dici  
ineſt. Virtus enim & vitium propriè relata non  
ſunt: ſed qualitates.

(c) Affectio illa relatis ineſt per aliud, nempe  
per fundamentum. (d, e, f.)



(d, e, f,) *He affectiones relatis, propriè ita di-*  
*ctis, insunt.*

## CAPUT IX.

*De Actione.*

**R**elata, propriè dicta fuerunt: sequun-  
tur Absoluto-relata.

Absoluto-Relata, vel sunt Principa-  
lia, vel Minus principalia.

Principalia sunt Actio & Passio.

Actio est, secundum quam in id, quod sub-  
ijcitur, agere dicimur, ut *calesfactio in igne*,  
quando subjectum aliquod calefacit, puta  
aquam.

Actio vel dividitur in genere, ratione suæ  
naturæ & essentiæ: vel in specie, ratione a-  
gentium.

Actio ratione suæ naturæ & essentiæ divi-  
sa, & Immanens, vel Transiens.

Immanens est, quæ nullam evidentem mu-  
tationem extrinsecus infert, ut *intellectio*,  
*volitio.* (a)

Transiens est, quæ mutationem extrinse-  
cus infert, ut *calesfactio.* (b)

Transientem Actionem dividunt in Na-  
turalem, ut cum *lapis descendit*; Violentam,  
ut cum *lapis ascendit*: Voluntariam,  
ut



ut differere: fortuitam, ut fodientem terram, invenire thesaurum.

Actio ratione agentium divisa, & generalissimè sumpta, alia est Dei, quæ vel interna vel externa: alia creaturæ: quæ vel spiritualis, vel corporea, &c.

*Canones & affectiones actionis sunt:*

1. Actiones recipiunt contraria, Ut calefacere & frigesacere.

2. Actiones recipiunt magis & minùs, ut aliquid magis, vel minùs calefacit, prout magis vel minùs celet.

3. Actiones non fiunt sine motu, qui ab agente procedit.

4. Inferunt passionem: ut si aliquid calefacit, necesse est aliquid caleferi.

### SCHOLION.

(a) Actio immanens improprie & tantuùm per analogiam dicitur actio.

(b) Actio transiens proprie actio est, & hoc predicamentum constituit.

### CAPUT X.

#### De Passione.

**P**assio est, secundum quam id, quod subijcitur, pati dicimus.

Passio



Passio etiam dividitur vel ratione naturæ & essentiæ suæ: vel ratione subjectorum.

Ratione essentiæ & naturæ suæ divisa, passio alia est transmutativa & intentionalis, alia perfectiva & defectiva sive privativa.

Transmutativa est, quâ fit realis quædam mutatio in patiente, ut *frigefactio* sensilem efficit passionem in re frigefactâ, in aquâ.

Intentionalis est passio, cum tantum fit terminatio actionis, nulla verò realis mutatio: tales passionem proveniunt ab immanentibus actionibus circa externa objecta: Sic res colorata dicitur aliquo modo pati, quia terminat & excipit visum. (a)

Perfectiva est, quâ subjectum perficitur, ut *calesfactio frigefactiove: nutritio, auctio, &c.*

Defectiva est, per quam subjectum aliquo vel quibusdam privatur, ut *Eclipsis in lunâ, morbus, &c.*

Ratione subjectorum divisa passio, alia est animi, ut *tristari*: alia corporis, ut *cales fieri.*

### Canones & Proprietates:

1. Passiones recipiunt contraria, ut, *calesfactio, frigefactio passiva.*
2. Passiones recipiunt magis & minus,
3. Non fiunt sine aliquo motu.

4. In



574. Inferunt actionem, ut si quid calefit, necesse est aliquid calefacere.

## SCHOLIUM.

(a) Hec passio tantum κατ' ἀναλογία ita dicitur.

## CAPUT XI.

*De Existentiâ in tempore.*

**A**bsolute relata prædicamenta minus principalia ita dicuntur, quòd in illis Entia secundariò dicta & ordinantur & collocantur.

Absolute - relata minus principalia, vel referuntur ad corporeum, vel incorporeum, hoc est, ad corporis accidens.

Absolute relata minus principalia ad incorporeum quando sunt, referantur vel ad tempus, & est prædicamentum Quando: vel ad locum, & est prædicamentum Vbi.

Quando est, quod ex adjacentiâ temporis relinquitur in re temporali, unde etiam existentiâ in tempore dicitur, ut *hoc die, hoc anno.*

*Canon 5<sup>us</sup> Proprietas:*

I. Quando neque contrarium inest, neque magis aut minus suscipit. Alius namque alio magis



magis vel minus in tempore esse dici non potest: neque etiam esse hodie, contrarium est heri vel ante annum fuisse.

2. Quando ad eas tantum res pertinet, quibus motus physicus competit. Hinc Deus in quando non est, neque Deo aliquid est præteritum vel futurum: sed omnia sunt præsentia.

## CAPUT XII.

### *De Ubi.*

**U**bi est habitudo quadam, quæ in corpore locato provenit, quia isto loco circumscribitur: vel est circumstantia corporis à circumscriptioe alicujus loci proveniens, ut: *esse in foro, esse in aula.*

### *Canones & Proprietates:*

1. Ubi non recipit magis vel minus. Non enim alterum altero magis vel minus in aliquo loco est.

2. Non habet contrarium.

## CAPUT XIII.

### *De Situ.*

**Q**uæ significant respectum inter duo corpora, sunt situs & habitus.

Situs est diversarum corporis locati partium



tium certa ad se invicem & ad totum habitu-  
do sive constitutio, ut *recubatio, sessio,*

*Canones & Proprietates.*

1. Situs non habet contrarium.
2. Non intenditur, nec remittitur.
3. Partium corporis inter se respectum significat à positione sumptum, ut cum aliquis stat, caput est superius cæteris partibus: cum jacet, caput non est superius, sed æqua loco.

CAPUT XIV:

*De Habitu.*

**H**Abitus, prout peculiare prædicamen-  
tum constituit, est corporum, & eorum,  
quæ circa corpus sunt, adjacentia. *Vesti-  
tum, tunicatum, pileatum esse, &c.*

Habitus est vel indumenti, vel ornamenti.

Habitus ornamenti est, quo nos ornamus,  
*ut, coronatum esse, annulatum esse, &c.*

Indumenti est, quo necessario corpus tegi-  
tur:

Habitus indumenti, est vel domesticus, vel  
bellicus: Illius est, *togatatum esse: hujus lorica-  
tum, galeatum, cataphractum esse, &c.*

*Canones & Proprietates.*

1. Habere nihil contrarium habet.

2. Ha-



2. Habere neque intenditur, neq; remittitur.

3. Significat relationem corporis habentis erga corpus, quod habetur.

## CAPUT XV.

*De Postprædicamentis in genere, & in specie de Oppositis.*

**P**Rædicamenta in suâ essentiâ & propriis affectionibus vidimus hætenus: sequuntur generales conditiones, ex diversis prædicamentis profluentes, quæ barbaro vocabulo *Postprædicamenta* dicuntur.

Postprædicamenta sunt quædam, Notata, ex prædicamentis diversis profluentia, proptereaque ad diversa prædicamenta iterum referenda.

Postprædicamenta sunt vel Dissentanea, vel Consentanea.

Dissentanea sunt Opposita.

Opposita dicimus, quæ sibi invicem è regione opponuntur.

Opposita sunt Positiva, vel Negativa.

Positiva opposita sunt, quorum utraque extrema sunt positiva.

Positiva opposita sunt vel Relata, vel Contraria.

Relas



Relativè opposita sunt, quæ id ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur, ut *Pater, filius*.

Contraria sunt opposita, quæ sub eodem genere posita, maximè inter se distant, & eisdem susceptivo subjecto insunt, & se mutuo expellere possunt.

Contraria sunt vel Immediata, vel Mediata.

Contraria immediata sunt, quorum semper alterum necesse est esse in iis subjectis, in quibus apta nata sunt esse, ideoq; nihil inter ea est medium, ut, *bona & mala valetudo* aptæ natae sunt esse in corpore naturali: sic *par & impar*, apta nata sunt in numero esse.

Contraria Mediata sunt, quorum non necesse est alterum inesse subjectis, quibus apta sunt inesse, sed aliquid inter ea est medium, ut *nigrum & album*, apta nata sunt esse in corpore, sed non semper alterutrum: Potest enim aliquid inter hæc medium inesse, ut *fiscum aut pallidum, aut alius color medius* inter nigrum & album.

Quæ media sunt inter duo contraria, partim sunt nominata, ut *rubrum & viride*, albo & nigro interjecta: partim innominata, ut inter *justum & injustum*, est id, quod neque  
justum.



justum neque injustum est. Atq; hæc dicuntur media per negationem extremorum: illa verò per participationem.

Opposita negativa sunt, quorum alterum est positivum, alterum negativum.

Opposita negativa sunt vel privativa, vel contradictoria.

Opposita privativa sunt, quorum alterum est Ens positivum, alterum Non Ens privativum: Ita opponuntur privatio & Habitus.

Habitus hoc loco est forma, alicui subjecto conveniens, ut *Visus*.

Privatio est formæ convenientis in substantiâ absentia, ut *Cecitas*.

Contradictoria potissimum hæc vocamus affirmationem & negationem oppositas: non quidem quòd affirmant vel negent: nam hoc est Enunciationum: sed quia similis est ratio propter particulam negativam, quâ fit oppositio, ut *homo, non homo*.

## C A P U T X V I.

### *Prius & Posterius.*

**C**onsentanea vel habent ordinis respectum, vel sunt Motus & modi habendi.

Quæ ordinem respiciunt, partim sunt prius & posterius: partim sunt ea quæ simul esse dicuntur.

Prius.



Priora dicuntur vel Tempore, ut bellum Trojanum prius fuit clade Cannensi: vel quæ consecutione, quorum nonnulla se sequuntur ab utrâque parte, ut Sol ortus est, ergo dies est: & contrâ, dies est, ergo Sol ortus est: nonnulla tantum ab unâ, ut Binaris numerus est: Ergo & unitas: sed non contrâ.

Deinde quædam priora dicuntur, quæ ordinem aliquem inter se habent & dignitatem: Sic Consul prior dicitur reliquis senatoribus: Vel priora sunt naturâ. Ut causa prior est effectui: Forma essentialis prior est propriis. Tot modis etiam posterius dicitur.

## CAPUT XVII.

*Simul.*

**Q**UÆ simul sunt, sunt simul tempore, vel naturâ.

Tempore simul esse dicuntur, quæ eodem tempore existunt, ut Aristoteles, præceptor, & Alexander Magnus, discipulus.

Naturâ simul sunt, inter quæ est mutua consecutio, sed tamen ita, ut alterum alterius causa non sit, ut duplum, dimidium. Species sub eodem genere sunt naturâ simul.

CA.



## CAPUT XVIII.

*De Motu.*

**M**otus est actus Entis in potentiâ, quatenus potentiâ. Vel, Motus est actus, quatenus mobile, quatenus mobile, habet à movente.

Motus aut est in substantiâ, aut in accidente.

In substantiâ est generatio & corruptio.

Generatio est motus à non esse ad esse.

Corruptio est motus ab esse ad non esse.

Motus in accidente acquirit terminum internum aut externum.

Motus, qui internum acquirit terminum, est vel in qualitate, vel in quantitate.

Motus in qualitate dicitur Alteratio, quæ est motus, quo alia qualitas acquiritur.

Motus in quantitate est, quâ alia quantitas acquiritur.

Motus in quantitate est vel augmentatio, vel diminutio.

Augmentatio est, quâ major quantitas acquiritur.

Diminutio est, quâ minor quantitas acquiritur.

C

Motus



Motus, qui externum acquirit terminum,  
est motus localis.

Motus localis est, quo subinde alius locus  
corpori acquiritur.

## CAPUT XIX.

*Habere.*

**H**abere significat conceptum habendi, ex  
diversis prædicamentis proveniente.  
Aut enim significat habitum seu dispositio-  
nem habere, aut quantitatem, aut ea, quæ sunt  
circa corpora, ut *vestimenta*: aut aliquid in  
corporis parte, ut *annulum in digito*: vel par-  
tem ipsam, ut *manum*: aut contentum in con-  
tinento, *quando poculum habet aquam*: aut pos-  
sessionem: aut etiam vir dicitur habere uxo-  
rem, &c.

## SECTIO TERTIA,

## De Enuntiationibus.

## CAPUT I.

*De interpretatione in genere.*

**D**E Syllogisticis simplicibus principiis ha-  
tenus dictum fuit: sequuntur nunc com-  
plexa, quæ generali nomine vocantur *Inter-  
pretationes.*



Interpretatio est passionum apud animum  
conceptarum explicatio.

Interpretatio est vel Inarticulata, vel Arti-  
culata.

Vox Inarticulata est vox nativa, sine inter-  
vallo & tempore prolata, significans appeti-  
tum aliquem. Tales interpretationes sunt  
voces brutorum animantium: hominum  
quoque ejulatus, lacrymæ, risus, &c. De qua  
interpretatione hoc loco nihil.

Articulata interpretatio est rationalium,  
quando certâ linguâ, certâ articulatione, in-  
tervallo & tempore, constante, certa sensa &  
passiones, apud animum conceptæ, explican-  
tur.

Interpretatio hæc est vel Simplex, vel Com-  
posita.

Simplex est in Orationis Elementis.

Orationis elementa sunt Nomen & ver-  
bum.

## CAPUT II.

### *De Nomine.*

**N**omen est vox, significans ex instituto  
sine tempore, cujus nulla pars signifi-  
cat separatim, & denotat subjectum in

Enunciatione. (a)

C 2

Nomen



Nomen est vel rectum, vel obliquum.

Rectum est, quod conjunctum cum verbo Est, erat, erit, &c significat vel affirmationem, vel negationem.

Nomen rectum est vel finitum vel infinitum.

Nomen finitum est, quod sine præposita negatione profertur, & rem definitam seu certam significat, ut *homo, album, doctum*. Et hoc Nomen propriè dicitur.

Nomen infinitum est, quod præpositam habet negationem, & similiter de quocunq; sine existente sine non existente dici potest, excepto eo, quod sine præmissa negatione significat. Ut *non homo*, de equo, tauro, cervo, chymera centauro, atq; adeò de omnibus alijs dici potest, præterquam de homine.

Nomen obliquum est Casus nominis.

Casus nominis est nomen, obliqui casus, quod verbo substantivo additum, nihil veri aut falsi significat, ut *Philonis, Philoni, Philonem est*, nihil certi significat.

## SCHOLIUM.

(a) Definitio hæc constat, materia, forma, efficiente & fine. Materia est vox, 5. de generat. animal. c. 7. Forma est significatio. Ubi distinguendum est inter significationem, adsignificationem, & consignificationem. Significatio principalis est: adsigni-



significatio significationi accidit: consignificatio in integra oratione spectatur. Sic nomen significat conceptum quendam, ut cursus: verbum significat conceptum & adsignificat tempus, ut currit, denotat cursum in tempore presente: & tandem etiam consignificat, quatenus connectit orationis partes, ut qui dicit: Homo currit; connectit cursum cum homine: Syncategoremata neque significant, neque adsignificant, sed consignant, ut prepositiones & conjunctiones: Inde neque Interpretationes dici possunt.

Deinde dicitur, quod Nomen significet sine tempore: quod non ita accipi debet, quasi nullum Nomen significet tempus: dantur enim quàm plurima, ut annus, mensis, hora, &c. Sed nullum Nomen adsignificat tempus: Ita enim rem aliquam significat, ut non adsignificet, quando res illa sit: Ut cursus non significat, quando sit: vel quando currat: & Tempus vel dies non significat, quando Tempus vel dies sit.

Tertio non significat ejus pars separatim, sive simplex sive compositum sit nomen. Si enim partes nominis aliquid significant per se, jam nomen plura significaret, & non unum esset nomen, sed plura.

Causa efficiens est Homini institutum. Quo momentum: Nomina arbitraria esse, non naturalia.

Finis est: denotare subjectum in Enuntiatione. Hanc enim unicam ob causam de Nomine hic agitur.



*De Verbo.*

**V**erbum est vox, significans aliquid cum tempore, cujus pars nulla seorsum est significativa, & est semper signum eorum, quæ de alio prædicantur. Denotat itaq; prædicatum. (a)

Verbum quoque est vel Finitum, vel Infinitum.

Verbum finitum est, quod sine negatione profertur & actum aliquem certum definitumq; significat, ut: *currit, loquitur.*

Infinitum verbum est, quod cum negatione profertur & similiter de quocunque sive existente, sive non existente, verè prædicari potest, ut: *non valet, non sentit.*

Verbum finitum est vel Rectum, vel Casus verbi.

Verbum rectum est verbum præsentis temporis.

Casus verbi est verbum præteriti aut futuri temporis.

## SCHOLION.

(a) Ex qua Definitione manifestum est, tres esse Verbi potestates: 1. Est Significatio rei conceptæ. 2. adsignificatio temporis. 3. consignificatio illius nexus qui inter subjectum & attributum est.

De



De verbo sum notetur, quod interdū tantūm, consignificet, & conneat partes Enunciationis, ut: Homo est animal: interdum significet tempus, ut Plato est domi: interdum etiam significet esse in rerum natura, sive esse Ens, ut Plato est & Cursus est. Primo ac Secundo modo sumptum, propriè verbum non est. Tertio modo acceptum, verè & propriè est verbum.

## CAPUT IV.

## De Oratione &amp; Enunciatione.

**I**nterpretatio composita est Oratio.

Oratio est vox, significans ex instituto, cuius aliqua pars significat separatim.

Oratio est vel Non-Enuntiativa, vel Enuntiativa.

Oratio Enuntiativa est, quæ verum aut falsum significat.

Oratio Non-Enuntiativa est, quæ nec verū, nec falsum significat, ut petitoria, optativa, interrogativa &c. De quâ Logicus nihil.

Oratio Enuntiativa est vel De inesse, vel Modalis.

Enuntiatio de inesse est oratio sine addito modo.

Enuntiatio de inesse est vel Simplex, quam aliàs Categoricalam dicunt: vel Composita, quam speciali & strictiore nomine, Hypotheticam vocant.



*De Enunciatione Categorica finita  
& infinita.*

**E**nunciatio Categorica est, quæ simplici asseratione aliquid affirmat vel negat, ut *Libanotis est frutex : Homo non est Lapis.*

Enunciationes hæc considerantur vel in suis divisionibus, vel in communibus accidentibus.

Dividuntur vel per constitutionem Essentia, vel proprias affectiones.

Per modum essentia, dividuntur ex natura partium, nominis nimirum, & verbi.

Per naturam Nominis enunciatio est vel finita, vel infinita.

Finita est, quæ subjecti & prædicati loco nomen finitum habet: ut *homo est justus.*

Infinita est, quæ vel alterius, vel utriusque termini subjecti & prædicati loco habet nomen infinitum, ut *lapis non sentit*, quando ita exponitur, *lapis est quoddam non sentiens.*

*De Enunciatione naturali & contraria naturam.*



Per naturam verbi & prædicati integri Enuntiationes distinguuntur, vel ex ratione signati, vel ex ratione signi.

In signato duo sunt spectanda: Modus attributionis, & generalissima rei, quæ attribuitur, conditio.

Ratione modi attributionis signati, dividitur Enuntiatio in Naturalem & in contra naturam.

Naturalis est, quando id, quod extra animum inest, prædicati loco ponitur, ut *homo est animal: homo est justus.*

Contra naturam est, quando id, quod extra animum subijcitur, prædicati loco ponitur, ut *animal est homo: album est homo.*

## CAPUT VII.

*De Enuntiatione propria, figurata, & inusitata.*

**N**aturalis est, vel propria, vel impropria.

Propria est, quando tam subiectum, quàm prædicatum propriam suam significationem retinet.

Est vel usitata, vel inusitata.



Usitata est, quæ quadrat ad quinque prædicabilia.

Inusitata est, cujus attributionis modus est mysticus: ut, Deus est homo; Paris est corpus.

Impropria est figurata, in quâ prædicatum cum subjecto per figuram quandam conjungitur, & Rhetoricæ est considerationis, ut: Herodes est vulpes.

## CAPUT VIII.

De Enuntiationibus positivis  
& privativis.

**P**ER generalissimas rei conditiones Enuntiationes sunt vel Positivæ, vel Privativæ (a)

Positivæ sunt, quarum prædicatum vel nomen vel verbum positivum est, ut: *Deus est justus: cælum movetur.*

Privativæ sunt, quarum prædicatum est vel nomen vel verbum privans, ut: *Homerus est cæcus, Plato egrotat.* (b)

## SCHOLIUM.

(a) Enuntiationes dividi in Positivas & Privativas per generalissimas Entis conditiones dicimus.

Ens



Ens enim (ut manifestum id est, in Metaphysicis nostris exercitationibus libr. 1. Ex. 3. th. 5.) omnium primò dividitur in Positivum & privativum: tanquam per primas suas conditiones sive modos.

(b) Divisiones hætenus enumerata tantum doctrinae gratiâ propositæ sunt, quo respectu etiam explicari & dari debent. Aliàs non insciamur, quòd partim ad Logicum non pertineant, partim etiam species Enuntiationum nullas constituent. Primum enim Enuntiationem esse vel naturalem, vel contra naturam, non est hujus loci explicare, quandoquidem ex conditionibus materiae id intelligitur. Videatur Zabarell. de quart fig. c. 8. Figurata quoque huc propriè non pertinet. Est enim Enuntiatio Retorica. Inusitata est Theologica, & etiam ita materia respectu dicitur: Sic tandem an res sit positiva an privativa, non judicat Logicus, sed Metaphysicus. Verùm (ut dixi) doctrinae gratiâ hic retineri possunt, & potissimum cum illud factum esse videamus etiam antè nos ab aliis Logicis.

## CAPUT IX.

De Enuntiationibus substantivis  
& adjectivis.

EX ratione signi Enunciatio alia est Substantiva, alia adjectiva.



Enunciatio substantiva est, in quâ verbum substantivum, EST, vel ejus casus prædicatur, vel copulæ loco ponitur.

Enunciatio substantiva est vel binaria, vel trinaria.

Enunciatio substantiva binaria est, in qua verbum, EST, vel ejus casus est secundum adiacens, hoc est, prædicati loco ponitur, ut *homo est, Angeli sunt, &c.*

Enunciatio trinaria est, in qua verbum, EST, vel ejus casus ponitur tanquam pars tertia propositionis, seu ut copula inter duo nomina, quorum alterum de altero dicitur, ut *Homo est justus: Plato erat justus.* Est autem verbum hoc pars quædam prædicati, unde Aristoteles illud dicit *περὶ τῆς τριτοῦ ἐπιπέδου.*

Enunciatio adjectiva est, in qua verbum adjectivum loco prædicati ponitur, hoc est, aliud verbum, quod vim verbi EST, & nominis habet, ut *homo currit*, quod potest exponi, *homo est currens.*

## CAPUT X.

*De Enuntiatione affirmativa & negativa.*

Divisiones Enuntiationum, quas patiuntur per modum essentia, habuimus: sequuntur reliquæ, quas habent per proprias affectiones.

Propria



Propria Enuntiationis Categoricalæ sunt Qualitas & Quantitas.

Qualitates sunt vel primæ, vel à primis ortæ.

Qualitates primæ sunt affirmatio & negatio: Unde Enuntiatio alia affirmativa, alia negativa.

Enuntiatio affirmativa est, quæ aliquid de aliquo enunciat, ut *Deus est justus.*

Negativa est, quæ aliquid ab aliquo enunciat, ut: *Deus non mutatur.*

## CAPUT XI.

*De Enuntiatione vera & falsa.*

Qualitates à primis ortæ, sunt veritas & falsitas: (a) Unde Enuntiatio alia est vera, alia falsa.

Enuntiatio vera est, quæ cum re consentit, ut *cælum movetur.* (b)

Enuntiatio falsa est, quæ à re dissentit, ut *cælum non movetur.* (c)

## SCHOLION.

(a) Veritatem & falsitatem qualitates Enuntiationum à primis ortas vocamus. Quando enim aliquid affirmatur vel negatur, aut verè aut falsè affirmatur vel negatur. Iudicium verò an Enuntiatio sit vera, an sit falsa, huc nō pertinet; sed est



propriū partis propriae sive specialis. Unde etiam intelligitur, hanc divisionem potius à materia, quàm à forma desumi.

(b, c) Diligenter notandum est, quid sit vera, quid etiam falsa Enuntiatio. Nonnulli putant veram esse illam Enunciationem, quā Enunciatus intelligit: quam verè non intelligit, vel etiam non credit, veram non esse. Hinc quidam nostris temporibus hunc errarunt errorem, ut statuerint, quando dicit Ethnicus: Deum esse justum, falsam eam esse Enunciationem, sive Ethnicum falsum dicere. Quae certè opinio absurda est. Cum veritas Enuntiationis (ut patet ex definitione) non à subiecto, hoc est, à loquente, sed ab objecto, hoc est, à re de qua fit sermo, dependeat. Nonnulli putant, Enuntiationem illā verā esse, & ibi esse veram ubi ex propriis principiis possit probari. Atque hinc statuunt, quia Mystera Theologica non possunt probari ex Philosophiā, & leges Iurisprudentiae ex medicinā, quod Mystera Theologica in Philosophiā sint falsa: & leges Iureconsultorum in Medicinā sint falsa. Decipiuntur hi iterum falsa definitione, quā veram Enunciationem definiunt eam, quae ex principiis suis probata est. Distinguant illi inter veritatem Enuntiationis, & inter ejusdem veritatis demonstrationem. Potest aliquis veritatem tenere, enunciare & proferre sine demonstratione. Ut rusticus quando videt Eclipsin, dicit



cet & scit Eclipsin esse: nō verò id dicit vel scit per  
vera principia.

Hi vero errores facile vitantur & declinantur,  
quādo hasce definitiones tenemus & observamus:  
Nempè quòd illa Enuntiatio sit vera, que consen-  
tit cum re: illa falsa que dissentit: Sive illam in-  
telligat vel credat enuntians, sive non: sive qua-  
dret ad sua, que sibi imaginatur, vel etiam in sua  
disciplinā, quam principaliter tractat, contenta  
principia, sive non; semper manet hoc: Quando  
Enuncians dicit quod res est: verum dicit: quan-  
do hoc non dicit, falsum dicit.

CAPUT XII.

De Enuntiatione universali, particu-  
lari, singulari, & indefinita.

**A**lterum proprium Enuntiationis Ca-  
tegoricæ, est Quantitas: quæ vel Deter-  
minata, vel Indeterminata.

Determinatā quantitate prædita dicitur  
Enuntiationo, quæ certum suæ quantitatis si-  
gnum habet.

Signū illud est vel Commune, vel Propriū,

Commune signum est vel Universale, vel  
Particulare: Unde ratione determinatæ quan-  
titatis Enuntiationo alia est Universalis, alia  
Particularis.

Enuntiationo universalis est, quæ signum uni-  
versale additū habet, ut: *omnis homo est animal*,



Enuntiatio particularis est, quæ signum particulare additum habet, ut *quidam homo est doctus*,

Proprium signum est subjectum singulare, sive proprium.

Enunciatio itaque singularis est, cujus subjectum est nomen singulare, vel proprium, designans aliquod Individuum, ut *Johannes est homo*.

Enunciatio indeterminatae quantitatis dicitur *Indefinita*, cujus subjectum quidem terminus communis est, sed sine signo positus. Vel quæ de subjecto universalis aliquid affirmat vel negat, neque universaliter neque particulariter, ut *homo est justus*.

## SCHOLIUM.

Hic accuratè distinguendū est, propter Ramios, qui hæc non intelligunt, inter modum Enunciandi, & inter ipsam rem, quæ modo enunciandi enunciatur. Hic agentes de Enuntiationibus, cogimus de modis Enunciandi. Hi modi necessariò requirunt sua signa formalia, quibus à se invicem distinguuntur, ut sunt Omne, nullum, quidam, nō omne, &c. Verū est, Res Enunciata potest esse universalis sine signo, ut *Homo est animal*. Hic secundū rem quidē universalis Enunciatio est, de qua agitur in parte propria: Verū secundū modum Enunciandi, de quo hęc agitur, nō est universalis.



*versalis.* Nam qui dicit: Homo est animal; nondum enunciat, an statuat in mente: Omnem hominem esse animal, an quendam hominem esse animal. Est igitur modus enunciandi indefinitus.

## CAPUT XIII.

*De Oppositionibus.*

**D**ivisiones Enunciationum fuerunt: sequuntur accidentia.

Accidentia Enunciationum sunt, Oppositio & Conversio.

Oppositio nihil aliud est, quam duarum Enunciationum pugna.

Oppositio fit vel inter propositiones determinatas, vel indeterminatas.

Oppositio, quæ fit inter propositiones determinatas, vel est accurata, vel non adeo accurata.

Oppositio accurata est, quando veritas & falsitas simpliciter opponitur, & est vel contradictoria, vel singularis.

Contradictoria oppositio est, quando universalis affirmans opponitur particulari negativæ; vel contra: *Ut, omnis homo est doctus: quidam homo non est doctus.*

Singularis est, quando duæ singulares, quarum altera est affirmativa, altera negativa,

tiva,



tiva opponuntur, ut *Iohannes est doctus, Iohannes non est doctus.*

Non adeò accurata oppositio est, in qua non semper veritas & falsitas opponuntur: Estq; vel Contraria, vel Subcontraria.

Contraria est, quando universalis affirmativa opponitur universali negativæ.

In materiâ necessariâ harum Enuntiationum altera est vera, altera falsa; sed in materiâ contingentis utraque falsa esse potest, ut: *Omnia poma sunt flava, Nulla poma sunt flava.*

Subcontraria est, quando duæ particulares & per affirmationem & negationem sibi mutuò opponuntur.

In hac oppositione quoque altera vera est, altera falsa in materiâ necessariâ, ut, *Quidam homo est animal, quidam homo non est animal;* Sed in materiâ contingenti utraque vera esse potest, ut: *Quaedam poma sunt flava; quedam poma non sunt flava.*

Oppositio inter propositiones indeterminatas dicitur Indefinita: quando nimirum duæ indefinitæ per affirmationem & negationem sibi mutuò opponuntur.

Oppositio hæc reducitur, vel ad oppositionem Contrariam, vel Subcontrariam.

Reducitur ad contrariam, quando duæ  
Enun



Enuntiationes idem valent, quod universales,  
ut: *Homo est animal, homo non est animal.*

Reducuntur ad subcontrariam, quando  
indefinitæ Enuntiationes respondent parti-  
cularibus, ut: *poma sunt flava: poma non sunt  
flava. (a)*

Utilis hæc doctrina est ad reducendos syl-  
logismos ad impossibile.

### SCHOLIUM.

(a) *Notandum est, quòd indefinitæ Enuntiationes potissimum sumenda sunt pro particularibus: tum enim decipi non possumus, Verbi gratia, Datur ejusmodi Enuntiatio:*

*Homo est doctus:*

*Si tu illam indefinitam sumas pro universali, deceptus es: non verò ita, si pro particulari. Quocirca indefinitarum quoque oppositiones potissimum ad particulares sunt reducenda.*

### CAPUT XIV:

#### *De Conversione.*

**A**lterum accidens Enunciationum est  
Conversio.

Conversio Enunciationum est transmutatio subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum, ita ut altera ex altera verè & rectè sequatur.

In



In conversione aut simpliciter ex prædicato fit subjectum, & ex subjecto prædicatum; aut utrique termino & subjecto & prædicato particula negans adijcitur.

Priori modo conversio est, vel simplex, vel per accidens.

Posteriore, est conversio per Contrapositionem.

Conversio simplex est, quando simpliciter ex subjecto fit prædicatum, & ex prædicato subjectum, manente eadem quantitate, & qualitate.

Hæc fit vel in universali negativâ, ut:

*Nullus homo est lapis: E.*

*Nullus lapis est homo.*

Vel particulari affirmativâ, ut:

*Quedam poma sunt flava: E.*

*Quedam flava sunt poma.*

Conversio per accidens est, in quâ præterquam quod ex subjecto fit prædicatum, & ex prædicato subjectum, quantitas mutatur, solâ qualitate remanente.

Hæc fit in universali affirmativâ, ut:

*Omnes Scholastici sunt homines: E.*

*Quidam homines sunt Scholastici.*

Conversio per contrapositionem est, quando & subjecto & prædicato convergentis particula negans adijcitur, quâ in conversâ utrumq; carebat, ut:

*Omnis*



*Omnis homo est animal: E.*

*Quicquid non est animal, non est homo.*

Utilis est doctrina de conversionibus ad directè reducendam Syllogismos imperfectos secundæ & tertiæ figuræ, ad perfectos primæ figuræ.

## CAPUT XV.

*De Enunciationibus hypotheticis.*

**E**nunciatio Categorica, fuit: sequitur composita five hypothetica.

Hypothetica Enunciatio est oratio, in quâ duæ Enunciationes Categoricæ conjunguntur per particulam grammaticæ conjunctionis.

Hypothetica five composita Enunciatio vel est connexiva, vel separativa.

Connexiva est, cujus partes connexionem uniantur.

Est vel copulariva, vel conditionalis.

Copulariva est, quando duæ propositiones Categoricæ coherent per particulam conjunctionis copulativam, *ut Filius Lei nos creabit & redemit.*

Conditionalis est, in quâ duæ Enunciationes Categoricæ, per particulam conditionalem *Si*, aut similem, certam conditio-

RCM



nem & limitationem denotantem, conjunguntur, ut: *si Asinus volat, habet pennas.*

Separativa est vel Disjunctiva, vel Discretiva.

Disjunctiva est, in quâ duæ Enuntiationes Categoriæ particulâ disjunctivâ, quoad verba, cohærent, quoad res verò, distinguuntur. Ut: *aut dies est, aut nox est.*

Discretiva est, in quâ duæ Enuntiationes Categoriæ per conjunctionem discretam copulantur.

Tales sunt; *Etsi, quamvis etiamsi, tamen, non hoc, sed illud &c.* Ut: *Non formosus erat, sed erat facundus Vlisses. Deus non tantum est misericors, sed etiam justus &c.*

Nonnulli hæc Enuntiationes referunt ad Copulativas. Non etiam magnum usum habent in Logica: unde à plerisque negliguntur.

## CAPUT XVI.

### *De Enuntiationibus modalibus.*

**D**E Enuntiationibus sine modo hætenus: sequuntur modales.

Enuntiationo modalis est, quæ unum ex hisce quatuor modis habet additum: *Necesse,*



esse, Impossibile, Possibile, Contingens. Ut  
*Necesse est venire scandala. Impossibile est homi-*  
*nem esse lapidem: Possibile est puerum fieri Ma-*  
*thematicum: Contingit hominem esse doctum.*

Modalis Enuntiatio est, vel Composita vel  
 Divisiva. (a)

Divisiva est, cujus prædicatum à subjecto  
 modi interpositione dividitur, ut *scandala ne-*  
*cesse est, venire.*

Composita est, cujus prædicatum à sub-  
 jecto modi interpositione non est divisum,  
 ut: *Scandala venire necesse est, vel necesse est ve-*  
*nire Scandala.*

Propter Enuntiationes de inesse, quæ mo-  
 dalibus insunt, his quoq; accidunt Oppositio  
 & Conversio.

Oppositio paulo aliter se habet atque in  
 Enuntiationibus de inesse: In his enim (jux-  
 ta vulgarem opinionem) particula (non)   
 verbo adijcitur, in modalibus verò, modo, ut,  
*necesse est venire scandala, Non necesse est venire*  
*scandala.*

Conversio est eadem cum reliquarum con-  
 versione: in contingentibus tamen propriè  
 sumptis alia quædam ratio est. Quandoqui-  
 dem in illis universalis negans non converti-  
 tur universè & simpliciter.

Doctrina de modalibus Enuntiationibus



non tantum docet, quod inrer necessaria & non necessaria sit discernendum, quæque Enunciationes sibi invicem opponantur, & quæ sint æquipollentes: Sed etiam monstrat: quomodo Syllogismi ex illis sint constituendi.

## SCHOLIION.

(a) *Hæc divisio licet magnum usum non habeat, tamen teneri potest, propter nonnullas disputationes scholasticorum.*



## SECTIO QUARTA.

## De Syllogismo.

## CAPUT I.

*De Syllogismo in genere.*

**D**E Syllogisticis principiis, quatenus in se considerantur, hæctenus egimus: sequitur nunc ipsa Syllogistica constitutio.

Syllogismus in genere pro argumentatione sumptus, est progressus rationis à noto ad ignotum, ut fiat notum.

Syllogismus est vel perfectus vel imperfectus.

Syllogismus perfectus, qui propriè Syllogismus dicitur, est ratio, in qua quibusdam



dam positis, diversum quid à positis ex necessitate accidit, eo quòd hæc sunt.

## CAPUT II.

*De fundamentis Syllogisticis.*

Syllogismus hic vel in Theoriâ vel in Praxi consideratur.

Theoria Syllogistica Syllogismi naturam & essentiam exponit, idq; vel ratione fundamenti, vel eorum, ex quibus construitur, tanquam ex partibus essentialibus.

Fundamentum omnis Syllogisticae Structuræ & conclusionis est, *Dictum de omni, & Dictum de nullo.*

Dictum de omni, est naturalis Syllogismus affirmativus; quando nimirum, nihil est sumere subjecti, de quo alterum non dicitur.

Dictum de nullo, est Syllogismus naturalis negativus, quando nimirum nihil est sumere subjecti, de quo alterum non removeatur, vel breviter;

Dictum de omni & nullo est, quando quicquid dicitur vel negatur de universali, dicitur etiam vel negatur de particulari sub eo contento.



*De Terminis & Propositionibus  
Syllogisticis.*

**C**onstruitur Syllogismus ex Materiali & formali.

Materiale est vel simplex, vel complexum.

Simplex est Terminus, qui nihil aliud est, quàm Subjectum & Prædicatum in Propositione, ita dictus ratione Syllogismi, quia Syllogismum determinando constituit.

Terminus est vel extremus, vel medius.

Extremus est, qui simul in conclusione & præmissis locum habet.

Est vel Major vel Minor.

Major est, qui semper ponitur in primâ propositione, & est prædicatum conclusionis.

Minor est, qui semper ponitur in secundâ propositione, & est subjectum conclusionis.

Medius est, qui semel cum majore & semel cum minore jungitur, quæ conjunctio est causa conclusionis.

Medius dicitur: quia partim illatione, partim positione medius est.

Mater



Materia Syllogismi connexa est, vel propositio, vel conclusio.

Propositio est vel major, vel minor.

Major propositio est: in qua major terminus cum medio disponitur.

Minor propositio est, in qua minor terminus cum medio disponitur.

Conclusio est, quæ ex præmissis, majore & minore, propositionibus, infertur & colligitur.

*Ex hæctenus dictis sequentes Canones sunt tenendi.*

1. In Syllogismo non sint plures termini, quam tres.

2. Medius terminus non ingreditur conclusionem, ut ejus pars fiat.

3. Ex propositionibus purè particularibus nihil sequitur.

4. Ex propositionibus purè negantibus, nihil sequitur.

5. Non fit plus in conclusione, quam fuit in præmissis.

6. Conclusio sequitur partem debiliorē, quæ est vel negativa, vel particularis.



*De prima Figura.*

**D**E Materiali haecenus: sequitur Formale.

Formale Syllogismi, est legitima medij cum extremis dispositio.

Dispositio hæc, vocatur Figura Syllogismorum.

Figura enim est legitima trium terminorum, majoris & minoris cum medio dispositio, quâ medius semel cum majore, & semel cum minore conjungitur, atque ita duas propositiones constituit, ex quibus necessariò tertia, ab illis duabus diversa, concluditur.

Figura est, vel perfecta, vel aliquo modo imperfecta.

Perfecta est, quæ habet actu Dictum de omni, & Dictum de nullo; & in quâ medium non tantùm est medium illatione, sed etiam positione.

Perfecta figura, est prima Syllogismorum figura.

Prima figura est, in cujus majore medius terminus subicitur, in minore verò prædicatur.

Hujus



Hujus figuræ Syllogismi sunt vel universales vel particulares.

Universales Syllogismi sunt, qui universaliter concludunt.

Universalis Syllogismus est, vel Affirmativus, vel Negativus.

Syllogismus universalis affirmativus, dicitur *Barbara*.

*Barbara* est modus concludendi in prima figura, in quo ex propositionibus universalibus affirmativis, infertur conclusio universalis affirmativa, ut:

*Omnes electi salvantur:*

*Omnes finaliter credentes sunt electi:*

*Ergo omnes finaliter credentes salvantur.*

Syllogismus universalis negativus dicitur,

*Celarent.*

*Celarent* est modus, in quo ex majore negativa, & minore affirmativa universalibus, infertur conclusio universalis negativa, ut:

*Nulli electi damnantur:*

*Omnes finaliter credentes sunt electi:*

*E. Nulli finaliter credentes damnantur.*

Particulares modi sunt, in quibus particulariter concluditur,

Est quoque vel Affirmativus, vel Negativus.



Modus Affirmativus particularis dicitur  
*Darij*: Negativus, *Ferio*.

*Darij* est modus, in quo ex majore univer-  
sali & minore particulari affirmativis, infer-  
tur conclusio particularis affirmativa, ut:

*Omnes electi salvantur:*

*Quidam credentes sunt electi:*

*E. Quidam credentes salvantur.*

*Ferio* est, qui ex majore propositione uni-  
versali negativâ & ex particulari affirmati-  
vâ; colligit particularem negativam, ut:

*Nulli electi damnantur:*

*Quidam credentes sunt electi:*

*E. Quidam credentes non damnantur.*

### Canon.

Primæ figuræ proprium est, habere majo-  
rem semper universalem, & minorem semper  
affirmativam, nunquam negativam.

## CAPUT V.

### De secunda Figura.

**F**igura quodammodo imperfecta est, quæ  
habet tantum potentiâ dictum de omni,  
& dictum de nullo, & in quâ medium dunta-  
taxat illatione, non positione medium est.

Uade



Unde interdum obscuritas oritur, quæ ut tollatur, reducendi sunt Syllogismi ad modos perfectiores primæ figuræ.

Hinc figuræ imperfectæ duplex est consideratio. Aut ejus consideranda est constitutio, aut Adjuncta imperfectio.

Figura suo modo imperfecta, in Constitutione considerata, aut medium terminum in utrâque præmissarum habet prædicatum, atque hæc est secunda figura; aut in utraque præmissarum subjectum, quæ est tertia figura.

Secunda itaque figura est, quæ habet medium terminum, prædicatum in majore & minore.

Et hujus figuræ modi sunt vel universales vel particulares, semper autem negativi.

Universalis est, qui habet vel majorem negativam, & dicitur *Cesare*, ut;

*Ces* Nulli Mahometista pacem cum Deo habent.

*a* Omnes verè credentes pacem cum Deo habent.

*ro* E. Nulli verè credentes sunt Mahometista.

Vel Majorem affirmativam, & dicitur *Camestres*.



*Cam Omnes verè credentes pacem cum Deo habent :*

*es Nulli hypocrita pacem cum Deo habent :*

*tres E. Nulli hypocrita sunt verè credentes.*

Particularis est, qui habet vel majorem universalem negativam, & minorem particularem affirmativam, diciturq; *Festino*, ut:

*Fest Nulli temporarij salvantur :*

*in Quidam credentes salvantur E.*

*o Quidam credentes non sunt temporarij.*

Vel majorem habet universalem affirmativam, & minorem particularem negativam, diciturq; *Baroco*, ut:

*Bar Omnes hypocrita damnantur :*

*oc Quidam audientes verbum, non damnantur.*

*o E. Quidam audientes verbum non sunt hypocrite.*

### Canones.

1. Secunda figura majorem semper habet universalem, nunquam particularem.

2. Ex puris affirmantibus in secunda figura nihil sequitur, unde conclusio semper negativa infertur.

l nter-



Interdum autem affirmativè concluditur  
ex hoc fundamento:

Cum Medius terminus & majori & mino-  
ri extremo toti inest, & de alio nullo dicitur,  
inest autem & majus extremum minori, ne-  
cesse est medium & majus extremum recipro-  
cari, ut:

*Omne ratione prœditum est aptum ad ri-  
dendum:*

*Omnis homo est aptus ad ridendum:*

*E. Omnis homo est ratione prœditus.*

Verùm hæc conditio, quia materialis est,  
& ex re, quæ Syllogismo disponitur, fluit,  
non curatur. Quum hîc non quæstio fit, quid  
ex necessitate & naturali affinitate vel iden-  
titate Terminorum sequatur: verùm quid per  
legitimam terminorum dispositionē, (quam  
formam Syllogisticam appellare solent) ne-  
cessariò inferatur.

## CAPUT VI.

### *De tertia Figura.*

**T**ertia figura est, in quâ medius termi-  
nus est subjectum in majore & mino-  
re.

Hæc figura semper concludit particulari-

¶ 5

ter,



tor, vel ex præmissis puris universalibus: vel ex universali & particulari.

Quando ex puris universalibus concludit, tùm Syllogismus aut est affirmativus, aut negativus.

Quando est affirmativus, dicitur *Darapti*, ut:

- Da* Omnes hypocrite damnantur:
- rap* Omnes hypocrite sanctè vivunt:
- ti* E. Quidam qui sanctè vivunt, damnantur.

Quando est negativus, dicitur *Felapton*, ut:

- Fe* Nulli hypocrite salvantur:
- lap* Omnes hypocrite sanctè vivunt:
- ton.* E. Quidam sanctè viventes non salvantur.

Syllogismi ex universali & particulari concludentes, iterum sunt vel affirmativi, vel negativi.

Affirmativi, vel habent majorem particularem, & dicitur modus *Disamis*, ut:

- Dis* Quidam electi graviter peccant:
- amis* Omnes electi salvantur:
- is* E. Quidam, qui salvantur, graviter peccant.

Vel minorem particularem, & dicitur *Disamis*.

*Dis*



Dis *Quidam homo est justus:*

ans *Omnis homo est animal.*

is *E. Aliquod animal est justum.*

Syllogismi negativi vel habent majorem particularem negativam, & dicitur modus *Bocardo.*

Boe *Quidam egri non sunt studiosi:*

ar *Omnes egri sunt pallidi:*

do *E. Quidam pallidi non sunt studiosi.*

Vel habent majorem negativam universalem, atq; dicitur modus *Ferison.*

Fe *Nihil, conservans naturam, est vitiosum:*

ris *Quaedam conservantia naturam, sunt affectus.*

on *E. Quidam affectus non sunt vitiosi.*

### *Canon tertia figura.*

Tertia figura minorem semper habet affirmativam, & conclusionem particularem.

Interdum etiam universalis concluditur ex hoc fundamento.

Quum majus & minus extremum toti medio insunt: minus autem extremum & medium convertuntur, necesse est, majus extremum toti minori inesse, ut:



*Omne animal rationale est risibile.*

*Omne animal rationale est homo;*

*E. Omnis homo est risibilis.*

Verum, quia etiam hæc conditio materialis est, in formali Syllogismi theoriâ & constitutione non curatur. Non enim conclusio illa universalis sequitur propter dispositionem vel formam Syllogisticam; sed tantum propter terminorum sive rerum reciprocationem.

## CAPUT VII.

### *De reductione Syllogismorum Secundæ & tertiæ figuræ.*

**I**mperfectio secundæ & tertiæ figuræ inde est, quia habent potentiâ tantum Dictum de omni. Medium enim ponitur extra extrema, unde oritur obscuritas illationis.

Imperfectio hæc & obscuritas ut tollatur, requiritur tum *Reductio*, tum *Expositio*.

Reductio est transformatio Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ in Syllogismum primæ figuræ, unde necessitatis illius demonstratio oritur, & obscuritas illationis tollitur.



In reductione respiciendum vel ad signa :  
vel ad reductionis tūm media, tūm modos,  
ab illis medijs dependentes.

Signa sunt certæ in modis secundæ & ter-  
tiæ figurarum literæ.

Literæ illæ vel sunt Initiales, vel Mediæ.

Initiales literæ sunt consonantes capitales  
quatuor: B. C. D. F. denotantes modum se-  
cundæ & tertie figuræ, reducendum esse ad  
modum primæ figuræ, cum quo habet initia-  
lem consonantem communem, ut *Cesare* &  
*Camestres*, quia initialem consonantem ha-  
bent C. reducendi sunt ad *Celarent*;

*Festimo ad Ferio, Baroco ad Barbara, &c.*

Mediæ literæ sunt itidem consonantes  
quatuor: C. M. P. S. quæ ostendunt, quo medio  
reductio fieri debeat. Hæc de signis.

Medium reductionis est, vel Directum vel  
Obliquum.

Directa media sunt Conversio & Transpo-  
sicio.

Conversio, ut suprâ docuimus, est vel sim-  
plex: hanc denotat litera S. vel per accidens,  
hanc denotat litera P.

Transpositio est, quâ propositiones secun-  
dæ & tertie figuræ transponuntur ita, ut ex  
majore fiat minor, & ex minore major in pri-  
ma figura, Hanc notat litera M.



Obliquum est vel Conttadictio, vel con-  
trarietas conclusionis; Ejus locum monstrat  
lijera C, in modis *Baroco & Bocardo.*

Hinc rithmi:

*S. Vult simpliciter verti; P. verò per accid.*

*M. Vult transponi; C. per impossibile duci,*

Modus reductionis à medijs illis depen-  
dens, etiam est vel Directus, vel Obliquus.

Directus reducendi modus est, quando  
Syllogismus aliquis secundæ & tertix figu-  
ræ solâ propositionum conversione, vel con-  
versione & transpositione simul, conclusio-  
nis extremis manentibus ad primam figu-  
ram revocatur. Atq; hæc reductio aliâs *Ostensi-  
siva* dicitur.

*Ut in secunda figura.*

*Cesare.*

*Ce Nullus lapis est animal;*

*sa Omnis homo est animal;*

*re E. Nullus homo est Lapis.*

*Reducitur ad primam.*

*Ce Nullum animal est lapis;*

*sa Omnis homo est animal;*

*re E. Nullus homo est lapis.*

*Camestres.*

*Omnis*



Cam Omnis homo est animal:  
 es Nullus lapis est animal:  
 tres E. Nullus lapis est homo.

Ad primam.

Ce Nullum animal est lapis:  
 la Omnis homo est animal:  
 rent E. nullus homo est lapis: & per conse-  
 quens vi conversionis: Nullus lapis est homo.

Fesino.

Fes Nullum expetendum est turpe:  
 ti Aliqua voluptas est turpis:  
 no Ergo aliqua voluptas non est expetenda.

Ad primam.

Fe Nullum turpe est expetendum:  
 ri Aliqua voluptas est turpis:  
 o E. Aliqua voluptas non est expetenda.

In tertia Figura.

Darapti.

Da Omnis homo est bipes:  
 rap Omnis homo est animal:  
 ei E. quoddam animal est bipes.

Ad primam.

Da Omnis homo est bipes:  
 vi Aliquod animal est homo:  
 j E. Aliquod animal est bipes.

Fel



*Fel* Nullus homo est equus :  
*op* Omnis homo est animal :  
*ten* Ergo aliquod animal non est equus.

## Ad primam.

*Fe* Nullus homo est equus :  
*ri* Aliquod animal est homo :  
*e* E. aliquod animal non est equus.

## Disamis.

*Dif* Aliquod expetendum est voluptas :  
*am* Omne expetendum est bonum :  
*is* E. aliquod bonum est voluptas.

## Ad primam.

*Da* Omne expetendum est bonum :  
*ri* Aliqua voluptas est expetenda :  
*j* E. Aliqua voluptas est bona.  
 Et per consequens vi conversionis : Ali-  
 quod bonum est voluptas.

## Datisi.

*Dat* Omne expetendum est bonum :  
*is* Aliquod expetendum est voluptas :  
*i* E. Aliqua voluptas est bona.

## Ad primam.

*Da* Omne expetendum est bonum :  
*ri* Aliqua voluptas est expetenda :  
*j* E. Aliqua voluptas est bona.

Ferio



**Ferison.**

Par Nullus homo est Cygnus :  
 is Quidam homo est albus :  
 an E. Quoddam album non est Cygnus.

**Ad primam.**

Fe Nullus homo est Cygnus :  
 vi Quoddam album est homo :  
 o E. Quoddam album non est Cygnus.

Atque hactenus modus reductionis directus : sequitur Obliquus.

Obliquus reducendi modus dicitur Reductio per impossibile.

Reducere Syllogismum per impossibile est bonitatem Syllogismi ostendere per id, quo adversarius ad absurdum & impossibile deducitur.

Fit autem reductio hæc : Primum assumatur contradictio conclusionis Syllogismi imperfecti, cujus præmissas, tanquam veras, concedit adversarius, conclusionem verò negat, eò quod neget, ex vi propositionum præmissarum conclusionem sequi. Deinde cum conclusionis contradictione altera, propositio jungatur, & fiat primæ figuræ Syllogismus, cujus conclusio alteri propositioni, antea ab adversario concessæ, contradicit.

Reductio hæc aliter fit in secundâ, aliter in tertiâ figurâ.

In se.



In secundâ figurâ, Majore suo loco relicta,  
Contradictoria vel Contraria, ponitur loco  
Minoris, & infertur contradictoria vel con-  
traria Minoris, Ut:

## Baroco.

*Bar* Operatio virtutis est mediū inter extrema;  
*oc* Quaedam actio non est mediū in extrema;  
*o* E. Quaedam actio non potest esse operatio  
virtutis.

Reducitur ad primam per im-  
possibile.

*Bar* Operatio virtutis est mediū inter extrema;  
*ba* Omnis actio potest esse operatio virtutis;  
*va* E. Omnis actio est medium inter extrema;  
quod falsum.

In tertiâ figurâ, Minore suo loco relicta,  
contradictoria conclusionis ponitur loco Ma-  
joris, & infertur contraria vel contradictoria  
Majoris, ut:

## Bocardo.

*Boc* Quaedam animalia sunt homines;  
*ar* Omnia animalia sunt substantia;  
*do* E. Quaedam substantia sunt homines.

Reducitur ad primam per im-  
possibile.

Bar



Bar Omnes substantia sunt homines :  
 ba Omnia animalia sunt substantia :  
 ra E. Omnia animalia sunt homines: quod  
 falsum.

## Canon.

Omnes primæ & secundæ figuræ Syllogismi utroque modo, & ostensivè, & per impossibile reàueuntur ad primam, exceptis Baroco, & Bocardo, qui tantum per impossibile ad primam figuram dicuntur: Reliqui verò, per impossibile dicti, initialem literam non observant.

De Reductione hæctenus: sequitur Expositionis.

## CAPUT VIII.

De Expositione sive  
 ex seod.

EXpositione tantum perficiuntur Syllogismi tertiæ figuræ, sumendo nimirum loco mediij individuum sub eo contentum, & eandem conclusionem producendo ex præmissis singularibus, de quibus constat per sensum, quæ se qui probantur ex universalibus & particularibus vel indefinitis, ad quas illæ singulares sequuntur, ut:

Dis



Dis. Quidam homo est justus.  
 am Omnis homo est mortalis ;  
 is E. Aliquis mortalis est justus.

Perficitur in hoc.

Socrates est justus.

Socrates est mortalis ;

E. Aliquis mortalis est justus.

Atque ita in cæteris.

*Fundamentum Expositionis est.*

Quæ duo in uno tertio singulari conveniunt : ea inter se conveniunt : & quæ duo in uno tertio singulari non conveniunt : illa quoque inter se non conveniunt.

### SCHOLION.

Ut in omni Syllogismo tertia figura, ita vel maxime in Syllogismo Expositorio & singulari, accurate videndum est, ut integri termini extremi, hoc est, major & minor, in conclusione connectantur ; hoc enim quando non fit, conclusio sophisticè inferatur. Ut si ita inferatur :

Alexander vicit regem Persarum,

Alexander vicit Darium : E.

Darius est rex Persarum.

Conclusio est sophistica. Non enim Darius, sed vicit Darium, est Minor Terminus : neq; Rex Persarum, sed vicit Regem Persarum, est Major Terminus.

Termini.



*Terminus. Iam major Terminus non secundum partem ingreditur conclusionem, sed totus constituit eius predicatum: Sic neq. Minor Terminus est tantum secundum partem subiectum conclusionis: sed totus illud constituit. Ergo recte concluditur hoc modo:*

*Qui vicit Darium, vicit Regem Persarum.*

*Sic Expositio non est, quando Philippus ita concludit, Deus est Deus vivorum: Deus est Deus Abraham. E. Abrahami vivit.*

*Sed si premissarum ita concludendum est:*

*Quidam, qui est Deus Abraham, est Deus vivorum.*

*Quod videre est in illis exemplis, ubi termini non ita coherent. Ut absurde colligitur:*

*Johannes gerit gladium:*

*Johannes gerit librum: E.*

*Liber est gladius. Absurda, inquam, est conclusio: Vera ita habet: Ergo quidam qui gerit librum, gerit etiam gladium.*

CAPUT IX.

*De fine Syllogistica conclusionis.*

**T**heoria Syllogistica fuit: sequitur Praxis, in qua tum finis, tum ipsa operatio continetur.

Finis



Finis Syllogismi præstantissimus & ultimus est cognitio & dijudicatio Veri à Falso in dubiâ quæstione, unde nō immeritò Syllogismus inter *νεωτερια* certitudinis numeratur.

Judicium de veritate vel falsitate conclusionis, fit ex propositionibus, & contrâ, propositionum ex conclusione, juxta quatuor has regulas.

1.  
Si Propositiones Syllogismi sunt veræ, necesse est conclusionem veram esse, ut:

*Omne animal est substantia:*

*Omnis homo est animal:*

E. *Omnis homo est substantia.*

2.  
Si propositiones sunt falsæ, non necessariò conclusio vel vera vel falsa est, potest enim & vera & falsa esse:

Ut vera est conclusio:

*Omnis lapis est animal:*

*Omnis homo est lapis:*

E. *Omnis homo est animal.*

Falsa est conclusio:

*Omnis arbor est lapis:*

*Omnis homo est arbor:*

E. *Omnis homo est lapis.*

3.  
Si conclusio est vera, non necesse est veras esse



esse propositiones, sed possunt esse veræ & falsæ, ut in positis exemplis.

4.

Si conclusio est falsa, necesse est utramque aut alterutram propositionem esse falsam, ut:

*Omne animal est asinus:*

*Omnis homo est animal:*

*E. Omnis homo est asinus.*

Conclusio est falsa, quia major propositio falsa est.

### Appendix.

Nunc finem quoque respiciunt reliquæ formæ argumentationum: verum quia nullam habent & conclusionis & illationis evidentiam, nisi propter Syllogismos principales & perfectos; ut facultas inferendi, propter hos, illis attribuitur, ita etiam merito hic finis secundario & tantum propter hos perfectos Syllogismos illis attribuendus est.

### CAPIT X.

#### *De Genesi Syllogistica.*

**O**peratio Syllogistica est vel Genes, vel Analysis.

Genes Syllogistica est facultas efficiendi



endi Syllogismos ad quamcunque propositam  
questionem concludendam.

Ad facultatem hanc duo requiruntur;  
1. Cognitio structuræ Syllogisticæ, de quâ egi-  
mus in præcedentibus 2. Inventio mediij  
termini, qui ad propositionem est accommo-  
dandus.

In mediij hujus inventionem requiritur Co-  
pia & Delectus.

Copia mediiorum colligitur vel ex Consen-  
taneis, vel ex Dissentaneis.

Ex consentaneis, nempe ex Antecedente &  
Consequente.

Ex dissentaneis, nempe ex Repugnantibus.  
Omne enim medium Syllogismi est vel Anteo-  
cedens, vel Consequens, vel Repugnans.

Antecedens est terminus, de quo potest ali-  
quid affirmari, ut species est antecedens gene-  
ris, differentiæ, propriij, definitionis. Hæc enim  
omnia de specie prædicari vel affirmari pos-  
sunt.

Consequens est terminus, qui de aliquo af-  
firmari potest, ut: Genus, differentiæ, pro-  
prium & definitio, sunt consequentia speciei.

(a)

(a) Notandū hic est, quòd Termini convertibiles  
antecedentis & cōsequentis munere fungi possint,  
Sic propriū quavis modi licet in se & suā naturā  
confe-



consequens sit : potest tamen in Syllogistica hac  
inventionem antecedentis vices obtinere, & subje-  
cti loco poni universaliter.

Repugnans est terminus, qui de aliquo af-  
firmari non potest, ut disparatum repugnat  
disparato, contrarium contrario, habitus pri-  
vationi.

**Canon.**

Ad copiam & abundantiam mediorum  
habendam, considerandi sunt ante omnia  
quæstionis termini, nempe subjectum & præ-  
dicatum, & illorum antecedentia, consequen-  
tia & repugnantia.

Delectus medii ad quæstionem accommoda-  
ti, fieri debet juxta canones hujus quatuor.

1.

Ad quæstionem universalem affirmantem  
concludendam, eligatur medium, quod i-  
dem sit antecedens prædicati & consequens  
subjecti, & concludatur Syllogismus in Bar-  
bara, ut sit quæstio: *Omnem Virtutem esse stu-  
diosè colendam*: medium idoneum erit, *Natu-  
ra consentaneum.*

2.

Ad concludendam quæstionem particu-  
larem affirmantem, eligatur medium, quod  
idem sit antecedens prædicati & subjecti, ut

E

Et



fit quæstio: *Aliquæ periculosa esse suscipienda: aptum erit medium, justa defensio per bellum.*

3.

Ad concludendam quæstionem universalem negantem, eligatur medium, quod idem fit alterius extremi repugnans, & alterius consequens, ut fit quæstio: *Nullum abavum esse debitum, medium eligatur vel Dominus debitiarum, & fit Syllogismus in Camestres, vel egens, & erit Syllogismus in Cesare.*

4.

Ad concludendam quæstionem particularem negantem, eligatur medium, quod idem antecedens sit subjecti & repugnans prædicati, ut fit quæstio: *Quendam morbum non esse curabilem: accommodatum erit medium, Apoplexia fortis, & formabitur Syllogismus in Felapton.*

## CAPUT XI.

*De Analyysi Syllogistica.*

**A** Nalyfis Syllogistica est resolutio & redutio Syllogisticae orationis ad certam Syllogismi formam & modum, ut rectè cognoscatur consecutio necessaria,

Analy:



Analysis hæc est λύσις, hoc est, resolutio,  
& ἀναγωγὴ reductio.

Λύσις est resolutio vel orationis propo-  
sitæ in propositiones: vel propositionum in  
terminos.

Resolutio Orationis Syllogisticæ in propo-  
sitiones, dato principali proposito, fit: pri-  
mùm inquirendò duas propositiones, quarum  
altera sit major, prædicatum; altera minor,  
subjectum quæstionis, continens: Deinde sup-  
plendo quod deest, vel adimendo quod redun-  
dat.

Resolutio propositionum fit in tres termi-  
nos, accipiēdo pro medio, qui in utraq; poni-  
tur; pro majore, qui prædicatū quæstionis est,  
pro minore, qui conclusionis est subjectum.

Ἀναγωγὴ & reductio fit, vel ad figuram,  
vel ad modum, considerando vel qualitatem  
& quantitatem conclusionis: vel collocatio-  
nem medii termini.

Ad figuram: Si quæstio concludenda est ra-  
tione Qualitatis & Quantitatis 1. Universalis  
Affirmans, fit reductio tantùm ad primam fi-  
guram: Si universalis negans, ad primam &  
secundam, 2. Si particularis affirmans, ad pri-  
mam vel tertiam: Si particularis negans, ad  
primam, secundam vel tertiam.

E   2

Si



Si quaestio concludenda est ratione medii, tunc collocatio & positio medii observanda est. Si enim medium fuerit subiectum in maiore & praedicatum in minore propositione, reductio fit ad primam figuram: Si in utraque fuerit praedicatum, ad secundam; Si denique in utraque subiectum, ad tertiam figuram.

Ad modum certum fit reductio, considerando in singulis figuris quantitatem & qualitatem propositionum.

## CAPUT XII.

*De Syllogismo hypothetico.*

**D**E Syllogismo Perfecto haecenus: Sequuntur Syllogismi Imperfecti.

Syllogismi Imperfecti, proprie loquendo, Syllogismi non sunt, sed ita dicuntur, quia facillime ad Syllogisticam formam, haecenus traditam, possunt revocari.

Syllogismus Imperfectus autem constat propositionibus compositis? aut simplicibus.

Syllogismi constantes propositionibus compositis, vulgo Hypothetici dicuntur.

Syllogismus hypotheticus est, quum loco maioris propositionis propositio composita ponitur, loco minoris alterutra compositae pars, & pars relicta concluditur.

Syllo-



Syllogismus hic est, vel connexivus vel Disjunctivus.

Connexivus est vel Copulativus, vel Conditionalis.

Copulativus est, qui majorem habet copulativam negantem. Ex affirmante enim nihil sequitur.

*Canon consequentia.*

In Syllogismis, copulativis si unum ponatur, tollitur alterum: non vice versa, si unum tollatur, ponitur alterum. Ut vera est consequentia.

Non est homo & equus.

Sed est homo: Ergo non est equus.

Item, Est equus: Ergo non est homo.

Nulla consequentia est:

Non est homo & equus:

Sed non est homo: Ergo est equus:

Vel, Non est equus: Ergo est homo. Fieri enim potest, ut sit bos, leo, ovis, &c.

Conditionalis est, qui majorem habet Hypotheticam: atque hic proprie hypotheticus dicendus est.

Conditionalis rursus duplex est: vel enim consequentibus Perfectæ consequentiæ constat: vel Imperfectæ consequentiæ.

Consecutio perfecta est, si sicut consequens

E 3

ad



ad antecedens, ita vicissim hoc ad illud sequatur, quod fit, cum duo illa sunt reciproca, ut :

*Si dies est, Sol ortus est.*

*Sed dies est : Ergo*

*Sol ortus est.*

Vel secundo :

*Sed sol ortus est : Ergo*

*Dies est.*

Vel tertio :

*Sed dies non est : Ergo*

*Sol ortus non est.*

Vel quarto :

*Sed sol ortus non est : Ergo*

*Dies non est.*

Consecutio imperfecta est, cum consequens quidem ad antecedens, sed non è contrario, hoc ad illud consequatur; quod fit, quoties consequens latius patet antecedente.

*Si homo est, animal est :*

*Sed homo est : Ergo*

*Animal est.*

Iterum :

*Si homo est, animal est :*

*Sed animal non est : Ergo*

*Homo non est.*

Hoc modo rectè concluditur : Falsa autem consequentia est in sequentibus.

Si



*Si homo est, animal est:*

*Sed animal est: Ergo*

*Homo est.*

*Iterum:*

*Si homo est, animal est:*

*Sed homo non est: Ergo,*

*Animal non est.*

Disjunctivus Syllogismus aut est simplex: aut compositus.

Simplex est, qui majorem habet simpliciter disjunctivam, & adversarium uno modo, ut reliqui faciunt Syllogismi, capit.

Hic est aut affirmativus, aut negativus.

Affirmativus est, qui conclusionem habet affirmativam, cujus species duæ sunt:

Primò: vel enim loco minoris everlio antecedentis majoris ponitur, & infertur consequens, ut:

*Aut est ex traduce anima, aut à Deo infunditur:*

*Sed ex traduce non est: Ergo*

*A Deo infunditur.*

Secundò: vel loco minoris everlio consequentis majoris ponitur, & antecedens concluditur, ut:

*Aut ex traduce anima est, aut à Deo infunditur.*

*Sed à Deo non infunditur: Ergo*

*Ex traduce est.*



Disjunctivi negativi sunt, qui habent conclusionem negativam. Species duæ sunt:

Aut enim loco minoris antecedens majoris ponitur, & everfio consequentis concluditur, ut:

*Aut ex traduce anima, aut à Deo infunditur?*

*Sed ex traduce est. Ergo  
A Deo non infunditur.*

Aut loco minoris consequens majoris ponitur, & everfio antecedentis concluditur, ut:

*Aut ex traduce anima est, aut à Deo infunditur.*

*Sed à Deo infunditur: Ergo  
Ex traduce non est.*

### CAPUT XIII.

#### *De Dilemmate.*

**D**isjunctivus Compositus five mixtus, est Dilemma.

Dilemma est Syllogismus disjunctivus, minoris utramque partem rationibus instruens, & utrinque petens feriensque adversarium. Ut Christo interroganti Lucæ 20. 4. (Baptisma Johannis unde est, ex cæloné, an ab hominibus) Pharisei nihil respondere audebant. Sic enim apud sese argumentabantur:

Si



Si Christo respondebimus, dicendum erit, aut ex Deo fuisse Baptisma Johannis, aut ex hominibus: sed non dicemus, fuisse ex Deo, ne fortè opponat, nos debere illi credere: non ex hominibus; nam populus nos lapidaret: Ergo non respondebimus.

## SCHOLIUM.

*Compositus dicitur hic Syllogismus, quia ex pluribus componitur: Mixtus vero, quia partim est conditionalis, partim disjunctivus.*

## CAPUT XIV.

*De Inductione.*

**S**yllogismus imperfectus, constans simplicibus propositionibus, progreditur vel à particulari: vel contrà, ab universali.

Syllogismus progrediens à particulari, est Inductio: quæ est vel perfecta, vel imperfecta.

Perfecta est ratio, quâ majus extremum medio per minus extremum, quod ex singularibus omnibus constat, inesse concluditur.

Concludit Inductio vel affirmativè, vel negativè.

Affirmativè concludit, quando omnes species vel omnia Individua affirmativè inducuntur, ut:

E s

Abra-



*Abraham electus, est salvatus:*

*Isaac electus, est salvatus,*

*Jacob, David, Petrus, Paulus electi, sunt  
salvati:*

*Et contrarium exemplū nullū dari potest.*

*E. Omnes electi sunt salvati.*

Concludit inductio negativè quando omnes species negativè inducuntur, ut:

*Abraham fuit electus & non damnatus.*

*Petrus fuit electus & non damnatus.*

*Et nullum contrarium exemplum dari potest: Ergo*

*Nullus electus damnatur.*

## CAPIT XV.

### De Exemplo.

**H**Æc fuit Inductio perfecta: Inductio imperfecta à Logicis dicitur Exemplum. Exemplum est inductio imperfecta, quâ extremum ostenditur inesse medio per quoddam simile tertio.

Illud simile aut nititur authoritate rei gestæ: vel commemoratione rei fictæ.

Authoritate rei gestæ nititur, ut:

Florentini civili dissidio reipubl. administrationem amiserunt: Ergo & Venetorum Respublica collabatur, si cives cum civibus dimicaverint,

Si com-



Si commemoratione rei fictæ, tam est vel parabola, vel apologus sive fabula.

## CAPUT XVI,

*De Enthymemate.*

**D**E Syllogismo progrediente à particulari hætenus: sequitur is, qui ab universali progreditur.

Hic est vel Enthymema, vel Sorites.

Enthymema est Syllogismus imperfectus ex locis & signis: atque constat unâ propositione & conclusione. Est enim interdum major, interdum minor omissa.

Est autem εἰνός propositio probabilis, in quâ profertur & dicitur id, quod interdum fieri, interdum non fieri, interdum esse, interdum non esse, intelligimus, ut: *Homines amant amantes se: Benefaciunt beneficientibus*, hoc enim plerumq; fit.

Σημεῖον signum, est nota quædam seu conjectura, rem arguens vel præteritam, ut: *Fugit; Ergo maleficiū perpetrabit*: vel præsentem, ut: *Fumus ignem*: vel Futuram, ut: *Pallida luna pluit, rubicunda stat, alba serenat*.

Signum est vel necessarium, vel probabile.



Necessarium est, quod semper verum est, ut *dies est*; Ergo *Sol ortus est*.

Probabile est, quod plerunque fit, interdum tamen fallit: ut, *pallet*, Ergo *amat*.

## CAPUT XVII.

*De Sorite.*

**S**orites est forma colligendi, in qua prædicatum primæ propositionis, subjectum fit in secundâ: Secundæ, subjectum in tertiâ, donec tandem in conclusione primum subjectum eum postremo prædicato jungatur, ut **Cic.**

*Quod bonum est, illud expetendum est:*

*Quod expetendum est, illud placet:*

*Quod placet, illud diligendum est:*

*Quod diligendum est, illud probandum est:*

*Quod probandum est, illud laudabile est:*

*Quod laudabile est, illud honestum est:*

*Ergo, Quod bonum est, honestum est.*

Hujus Syllogismi fundamentum sumitur ex regula supra posita: Quicquid de prædicato alicujus subjecti dicitur, illud de subjecto quoque dici-

tur.

**Liber**



**Liber Secundus.**  
**DE PARTE LOGI-**  
**ces propria.**

**SECTIO PRIMA.**

**De Demonstratione.**

**CAPUT I.**

*De Demonstratione generaliter.*

**H**abuimus haecenus partem communem, quâ Syllogismus communiter, absq; respectu ad certam materiam, fuit consideratus: sequitur nunc posterior, quæ Syllogismum communem, ad certam aliquam materiam applicandum, docet.

Considerandus itaq; in hac parte est Syllogismus ratione materix, atq; adeò pro diversitate materix, Syllogismus quoq; erit diversus.

**Materia est duplex: alia vera, alia falsa.**

**E 7**

**Syllo-**



Syllogismus igitur alius versatur circa veritatem constituendam, alius circa falsitatem destruendam.

Materia vera, Syllogismo subiecta, est vel necessaria, vel contingens: Ergo Syllogismus verus, est vel necessarius, vel probabilis.

Syllogismus necessarius dicitur Demonstratio.

Demonstrationis consideratio est, vel Theorica, vel Practica.

Consideratio Theorica est, vel generalis, vel specialis in speciebus demonstrationis.

Generalis, vel naturam Demonstrationis universalem exponit, vel ejusdem proprietates evolvit.

## CAPUT II.

### *De Demonstrationis definitione.*

**D**emonstratio in suâ naturâ considerata, est Syllogismus scientiam pariens, & ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus & causis conclusionis constans.

Natura itaque & essentia Demonstrationis consistit, vel in formâ & fine: vel in materia.

Forma



Forma Demonstrationis est Syllogismus,  
de quo in libro priore.

Finis est gignere scientiam.

## CAPUT III.

*De Terminis Demonstrationis.*

**M**ateria constituntur termini & propo-  
sitiones.

Termini vel sunt extremi, nempe Major &  
Minor: vel est Medius. Atq; hi tres termini  
re ipsa sunt distincti.

Major terminus est affectio propria, quæ  
demonstratur: quæ semper accidens est, nun-  
quam substantia.

Minor est subjectum, de quo illa affectio  
demonstratur: & subjectum hoc, est basis to-  
tius demonstrationis,

Medius est causa, per quam propria illa af-  
fectio demonstratur.

## CAPUT IV.

*De Propositionibus demon-  
strationis.*

**E**X compositione medij cum extremis fi-  
unt propositiones, live principia Demon-  
strationis, quorum communes affectio-  
nes numerantur quinque:

1. Ut sint vera,

2. Ut



2. Ut sint prima & immediata, hoc est, ut per nullum mediū prius possint demonstrari.

3. Ut notiora sint conclusionē, & respectu nostri, & naturā.

4. Ut sint priora conclusionē etiam secundum naturam & respectu nostri.

5. Ut sint conclusionis causa.

Est igitur Principium Demonstrationis propositio immediata, quæ nullā aliā priore propositione demonstratur, & absque ulla demonstratione, per se fidem habet.

Dividitur in ἀξίωμα, Dignitatem seu Honorariam sententiam: Et θέσις, Positionem.

Axioma est Principium demonstrationis, quod discipulo notum est, antequam à Praeceptore erudiatur, & dignum est, cui omnes adhibeant fidem, ut: *Totum est majus quâlibet suâ parte. De re verâ, aut est affirmatio, aut negatio.*

Axiomata sunt duplicia: Vel Communia omnium disciplinarum: Qualia sunt: *De quâcunq; re verâ est vel affirmatio vel negatio: Non contingit idem simul verū esse & falsum: Quodlibet aut est, aut non est: Vel sunt propria certarum disciplinarum. Ut in Logicis: Dissi de omni, & dici de nullo: In physicis: Ex nihilo nihil*



*bil generatur: In Mathematicis: Quae eidem sunt aequalia, inter se sunt aequalia, &c.*

Thesis est principium Demonstrationis, quod discipulus ab ore Praeceptoris audit & discit, antea sibi incognitum. Unde Thesis dicitur, quod à praepatore ponatur.

Thesis est vel Hypothesis, & definitio: vel postulatum.

Hypothesis est, quae ponit aliquid esse, aut non esse, ut fundamentum.

Definitio est thesis, quae ponit esse, hoc est, quid res sit. Ut in Geometriâ ponitur *punctum*, ut hypothesis, Definitio est: *Punctum est cuius pars nulla est.* In arithmetiis Hypothesis est, *dari unitatem*: Definitio est, *unitas est individuum secundum quantitatem*: *Ἄτημα* postulatum, est ejusmodi propositio, quae veritati quidem non videtur consentanea discipulo: demonstrator tamen & praepator sibi fidem haberi petit; ut: *A quo vis puncto ad quodvis punctum recta ducitur linea.*

## CAPUT V.

*De primo gradu necessitatis*

*καὶ πρῶτος.*

**A**Tque hæc fuit natura Demonstrationis, sequuntur proprietates: quarum alix sunt in materia, alix in fine. Respe-



Respectu materiae Demonstratio duplicem habet affectionem.

1. Ut ejus Propositiones & conclusio sint necessariae.

2. Ut ejus principia sint propria, non communia vel aliena.

Necessitas propositionum & conclusionis, est perpetuus & insolubilis nexus subjecti & praedicti.

Necessitas haec aut reduplicationem non simpliciter habet, aut reduplicationem simpliciter & necessario requirit.

Prioris generis sunt κατὰ παντός, & κατὰ αὐτό.

κατὰ παντός, De omni (puta subjecto) dicitur illud praedictum, quod non tantum alicui & aliquando: sed omni & semper inest.

Habet itaque hoc de omni universalitatem subjecti, & perpetuitatem temporis & loci, ut: *Homo est animal.*

Praedictum hoc (*animal*) non alicui tantum, sed omni homini universaliter inest, adeo, ut de quocunque verum sit dicere, *eum hominem esse*, de eodem verum sit dicere, *eum esse animal.* Deinde dicitur animal de homine non tantum certo tempore, sed sine

fine



hinc : quicumque enim homo est, is semper  
omniq; tempore animal est. Tandem non di-  
citur animal de homine tantum certis in lo-  
cis : sed ubiq; : Vbicunq; enim locorum est &  
existit homo ; ibi etiam est & existit animal.

## CAPUT VI.

*De secundo necessitatis gradu*

καθ' αὐτό.

Καθ' αὐτό seu per se dicitur quatuor mo-  
dis, qui ita commodè dividi possunt. Quic-  
quid dicitur de alio per se, id aut est internum  
aut externum. Quando internum, explicat  
aut quid sit, ut primus & secundus modus per  
se ; aut quod sit, ut tertius ; Si externum, da-  
tur quartus modus.

Primus itaque modus per se dicitur, cum  
prædicatum inest subjecto, & est de definitio-  
ne subjecti. Hinc quinque statuuntur prædi-  
cata primi modi per se, *Definitio tota : Genus  
proximum, Genus remotum : Differentia proxi-  
ma : Differentia remota.*

Secundus modus per se est, quando præ-  
dicatum quidem subjecto inest, sed subje-  
ctum est de definitione prædicati, ut : *Homo  
est risibilis. Numerus est par & impar.* Hic itaq;  
modus



modus habet propria accidentia, quæ subiectum sive rem constitutam sequuntur.

Tertius modus per se est, quando existentia sive essentia secundi adiecti dicitur de substantiâ quâcunque, tam universali, quàm singulari; ut *Homo est: Substantia est: Animal est.*

Quartus modus per se est, quando causa externa & quæ loco sejuncta est ab effectu, ut efficiens vel finalis, vel contrà, effectus de illis causis prædicatur: ut, *Eclipsis est obiectio terra, Homo jugulatus interit.*

## CAPUT VII.

### *De tertio necessitatis gradu καθόλῃ.*

Καθόλῃ universale, dicitur conditio prædicati, respectu certi subiecti, & significat prædicatum æquale subiecto. Universale itaque dicitur, quod non solum de omni & per se est, sed etiam quatenus ipsum. Singulari itaque hîc & tertio quodam modo καθόλῃ illud sumitur. Propterea autem dicitur universale, quia totum prædicatum inest subiecto, nec extra illud usquam reperitur. Et hinc ab Aristotele definitur, quod de omni, & per se, & quatenus ipsum est. Illud autem  
(qua-



(*quatenus ipsum*) reduplicationis est nota, & significat secundum propriam subjecti naturam. Ut *Risibilitas* tota homini inest, & nusquam est extra illum, & homini cum reduplicatione, hoc est, quâ homo est, in est.

Prima itaque demonstrationis proprietas est, ut ejus conclusio & propositiones sine summè necessariæ, id est, καὶ παντός, καθ' αὐτὸ & καθόλου. Et id, quod demonstratur, vocatur etiam Aristoteli καθόλου πρῶτον u. niversale primum: Universale quidem prædicati respectu: Primum verò respectu subjecti, quia prædicatum totum sive universum subjecto primo inesse demonstratur.

## CAPUT VIII.

*De propositionibus alienis & communibus, item propriis principii.*

**A**lteram proprietatem demonstrationis respectu materiæ, esse diximus, ut constet ex propositionibus & principiiis non alienis, vel communibus.

*Aliena sunt tam principia, tum acciden-  
tia,*



tra, quæ ad aliud genus subjectum, & diversam scientiam pertinent. Ex illis nulla fit demonstratio: Non enim licet ex alio genere in aliud migrando demonstrare, sed oportet ut omnia in demonstratione respectu subjecti sint *ὁμογενῆ*. Ut de subjecto Arithmetico non possum demonstrare affectionem Geometricam, &c.

Communia principia sunt, quæ ad plures scientias pertinent: *Ut totum est majus quàm libet suâ parte, &c.*

Ex illis si quispiam velit demonstrare, nunquam acquirat scientiam per se & specialiter, sed tantum secundum accidens. Ut si quis affectionem Arithmeticam demonstrat ejusmodi principiiis, quæ etiam ad alias scientias pertinent.

Propria principia sunt, quæ non pluribus, sed uni saltem scientiæ possunt applicari. Ut, *omne animal rationale est capax disciplina*, est principium proprium in scientia de homine &c. Atque talia principia non possunt per alia ejus scientiæ demonstrari.

## CAPUT IX.

*Quando demonstratio gignat scientiam cur sit.*

Ratio.



**R**atione finis iterum duo propria habet  
demonstratio: primum, ut pariat scien-  
tiam cur sit; deinde, ut tradat cogniti-  
onem quid sit.

Demonstratio parit cognitionem cur sit,  
prout demonstratio est, hoc est, quatenus est  
Syllogismus, cujus medius terminus minoris  
extremi causa existit, ut:

*Omnis arbor, quae humoris concretionem pati-  
tur, folia amittit:*

*Atqui omnis arbor latifolia concretionem hu-  
moris patitur:*

*E. Omnis arbor latifolia, folia amittit & de-  
frondescit. Item:*

*Omne naturale est corruptibile:*

*Omne corpus est naturale:*

*E. Omne corpus est corruptibile.*

Haec demonstrationes ostendunt, cur &  
propter quam causam arbores latifoliae de-  
frondescant, & corpus sit corruptibile: quia  
nimirum illae humoris concretionem patiun-  
tur; hoc verò naturale est.

## CAPUT X.

### *De Definitione.*

**D**emonstratio tradit cognitionem quid sit,  
quatenus in definitione convertitur, &  
quatenus ejus medius terminus est majo-  
ris



ris extremi definitio, vel definitionis potior pars. Circa affectionem hanc duo tenenda sunt: Definitum & ipsa definitio.

Definitum, aut est substantia, aut accidens.

Per Demonstrationem autem, non quid substantia sit, sed quid accidens, demonstratur, quod substantia, extra suam essentiam, causam existendi non, Accidens verò, habet.

Definitio consideranda in essentiâ suâ: Deinde quomodo ad demonstrationem reducatur.

Definitio in essentia considerata, est oratio, quæ quid res sit, indicat.

Definitio est vel nominis, vel rei.

Definitio nominalis est explicatio nominis, ut *Eclipsis est obscuratio Luna.*

Realis est vel substantialis vel accidentalis.

Substantialis vel colligitur ex causis, vel ex partibus.

Quando ex causis colligitur, tum dicitur vel Essentialis, vel Causalis.

Essentialis est, quæ desumitur à causis internis, materia & forma, hoc est, Essentialis definitio est, quæ constat genere & differentia specificâ, ut: *homo est animal rationale.*

Causæ



Caussalis est, quæ colligitur ex caussis externis, hoc est, quæ generi addit causam efficientem & finalem, ut *Scholasticus est persona, ordinata à Deo, ut discat linguas, artes & mores, utiles ad Ecclesie & Reipub. conservationem.*

Definitio collecta est partibus, dicitur Partialis, & est definitio, continens aut omnes, aut præcipuas partes definiti, ut *Philosophia est cognitio artium dicendi, rerum Physicarum & Metaphysicarum, Mathematices, & doctrina de moribus.*

Definitio accidentalis est, quæ est collecta ex multis accidentibus: ut *Terra est Elementum frigidum & siccum, gravitate suâ omnibus aliis antecellens, unde & in centro constituitur.*

Respectu demonstrationis definitio, aut est pars demonstrationis aut tota demonstratio, terminorum tantum situ differens.

Quando est pars demonstrationis, tum ejus est aut principium, aut conclusio.

Principium demonstrationis esse potest, & nominis, & rei definitio.

Definitio rei, nempe omnis definitio substantiæ, & omnis definitio accidentis causalis.

Definitio nominis, nempe Accidentis  
F definitio



definitio nominalis, nimirum quatenus præcognita esse debet ante demonstrationem.

Demonstrationis conclusio est definitio accidentis vel nominalis, vel essentialis.

Quando definitio est tota demonstratio terminorum tantum sita differens, est accidentium definitio perfecta. Nam genus, quod dat formam accidentis, est terminus major, subjectum sive materia, est terminus minor; Causa est medius terminus demonstrationis. Convertitur itaque talis demonstratio in definitionem, quando primo loco ponatur terminus major; secundo, minor; tertio medius, ut demonstratio est:

*Ubi est extinctio ignis, ibi est sonus:*

*In nube extinguitur ignis:*

*Ergo, In nube fit sonus.*

Convertitur in definitionem hoc modo:

*Tonitru, est sonus in nubibus propter ignem extinctum. Sic demonstratio modo fuit.*

*Omnis arbor, quæ humoris concretionem patitur, folia amittit:*

*Atqui omnis arbor latifolia humoris concretionem patitur:*

*Ergo omnis arbor latifolia, folia amittit.*

tit.

Con-



Convertitur in demonstrationem hoc modo:

*Defrondescere τὸ Ὀυλλορροεῖν' est amissio foliorum in arbore latifolia propter concretionem humoris.*

Notandum autem hic est, idem esse, sive ipsum accidens, sive illius genus, loco termini majoris ponatur.

## CAPUT XI.

*De speciebus demonstrationis.*

Consideratio demonstrationis specialis sequitur, quæ est explicatio ejus per species. Species demonstrationis sunt duæ: Altera demonstratio propter quid dicta; altera Quod.

Demonstratio propter quid ab Aristotele dicitur *1. post. ἀπόδειξις τῆ διότι & ἀπόδειξις ἀπὸ λῶς* à Græcis alias ἡ κρυψῶς ἀπόδειξις denominatur: Latine demonstratio potissima. Definitur Syllogismus, qui effectum, hoc est, proprium πάθος primo subjecto inesse per primam & simpliciter proximam causam demonstrat. Atque hæc demonstratio simpliciter dictam parit scientiam, ut:

E 2.

Omne



*Omne rationale est docile :*

*Omnis homo est rationalis : Ergo*

*Omnis homo est docilis :*

Altera demonstratio τῆς οὐκ ἐστὶν, quæ quodam modo demonstrationis nomine digna est, ut autor est *Arist. lib. 1. Post. cap. 10.* vocatur aliàs ἢ διὰ σημείων ἀποδείξις: Estq; duplex, vel causam proximam ex effectu, vel effectum ex causâ remotâ, concludit.

Demonstrationem ab effectu talem habet Aristoteles 1. *Post. c. 10.*

*Quod non scintillat, id prope est :*

*Planeta non scintillant : Ergo*

*Planeta prope sunt.*

Non propè esse, est causa, quod planetæ non scintillent.

*Sic : Quod per incrementa illuminatur, id est sphericum :*

*Luna per incrementa illuminatur : Ergo*

*Luna est corpus sphericum.*

Illuminari per incrementa, effectus corporis sphericî. Ita in negativis :

*Omne quod habet materiam, est generabile.*

*Cælum non est generabile : Ergo*

*Cælum non habet materiam :*

Hic ex effectu detracto, hoc est, generatione negatâ, negatur simul & detrahitur cælo materia.

Exem-



Exemplum demonstrationis à causâ remotâ est.

*Omne respirans est animal :*

*Nullus paries est animal : Ergo*

*Nullus paries respirat.*

Remotior respirationis causa est animal ;  
proxima sunt pulmones.

### CAPUT XII.

*De Genesi Demonstrationis & quidem in specie de Genesi definitionis.*

**D**emonstrationem in Theoriâ vidimus, sequitur Praxis ; quæ est vel in Genesi & Analyti, vel in Methodo ; Nam & Methodus ad praxin hujus doctrinæ pertinet.

Genesis demonstrationis est facultas efficiendi Syllogismum demonstrativum.

Ad effectiorem hanc necessaria est, primum generalis illa & essentialis, hætenus proposita, demonstrationis cognitio & scientia : deinde specialis, quæ propriè huc pertinet, & consistit vel in inventione definitionis illius, quod demonstrari debet : vel subjecti primi & causæ proximæ.

Definitio invenitur, quando inquirimus, 1. ipsius definitionis naturam, 2. quæ definito attribuuntur.

F 3

Quar



Quando definiti naturam inquirimus.

1. Videamus oportet, an id sit species specialissima, vel intermedia.

Si specialissima, tum considerata sunt subjecta individua.

Si intermedia, subjectæ species, quæ ex illius definitione fluunt.

2. Quæramus Categoriã, ad quam definitum pertineat, ut inde intelligamus, sub quo genere contineatur.

In consideratione attributorum definiti

1. observanda sunt omnia, quæ de illius generibus & speciebus essentialiter & in quid prædicantur.

Quando itaque definitum est species specialissima sive infima, inquirenda considerandaque sunt omnia, quæ de illius speciei Individuis in quid prædicantur.

Quando definitum est genus generalissimum vel species intermedia, inquirenda, considerandaque sunt omnia, quæ de speciebus infimis essentialiter & in quid prædicantur.

2. Deinde observandum & annotandum est, quæ sint communia omnibus partibus & speciebus definiti, quæ verò singularium propria. Quæ omnia quando inventa sunt, electionem instituimus, quæquæ communia sunt



sunt, retinemus, quandoquidem ex illis componitur definitio, quippe quæ genus & differentiam constituunt, quod fit, quando communibus omnia addimus usq; ad summum genus, & iterum descendimus ad speciem usq; definiendam, donec omnia simul sumpta non latius pateant vel strictius coarctentur, re-definitâ.

Attributa verò propria, ut ad rem hanc inutilia, planè rejicimus. Ut sit species definienda Homo. Examinetur juxta positas Regulas I. Itaq; intelligo esse speciem infimam sive specialissimam, quòd in alias species non dividatur. Unde colligo eam sub se saltem sua continere individua, Johannem, Petrum, Aristotelem, Socratem, &c.

Deinde ex subjectorum illorum individuum examine elucescit, quòd species posita, sive definitum, non sit in subjecto: Nam Socrates non est in subjecto, non Aristoteles, non Petrus, non Johannes: Quod autem in subjecto non est, id accidens non est: Quod accidens non est, substantia est: Quia quicquid est, est aut substantia aut accidens.

Manifestum itaque inde est, speciem definiendam esse è substantiarum Categoriâ. Hoc quando conclusum & demonstratum habeo, facilimo labore omnia attributa essentialia.



s  
 entialia, quæ rei definiendæ individuis, Jo-  
 hanni, Socrati &c. attribui debeant, inveni-  
 re in arbore substantiarum possum, Nempe  
 quòd illis attribuatur substantia, corpus, cor-  
 pus animatum, sentiens, rationale. Quæ at-  
 tributa omnia, quando conferuntur cum sin-  
 gulis individuis, conspicuum est singulis o-  
 mnia attribui posse: Nam Johannes est sub-  
 stantia corporea, sentiens, rationalis. So-  
 crates est substantia corporea, sentiens, ratio-  
 nalis, & sic in reliquis. Nullum itaque reji-  
 cio, sed omnia retineo, & definitionem talem  
 constituo: Homo est substantia corporea,  
 sentiens, rationalis. Et tandem, quia iterum  
 ex substantiæ Categoriâ intelligo, substanti-  
 am corpoream sentientem esse animal: Defi-  
 nitionem perficio hoc modo: *Homo est animal  
 rationale.*

## CAPUT XIII.

*De genesi & inventione subjecti pri-  
 mi & primæ cause.*

Πρῶτον δεκτικόν, quod etiam ὑποκεί-  
 μνον ἐξ ἀνάγκης καὶ ὑποκείμενον  
 καθόλου dicitur, inquiritur & inveni-  
 tur, quādo subjectum commune dividitur in  
 suas



suas species, & observantur, quæ de illis  
 prædicantur: cui itaque primò attribuitur  
 affectio, cujus primum subjectum requiri-  
 tur, illud est *πρῶτον δεκτικόν* & primum  
 subjectum. Ut quando videmus & homi-  
 nem & leonem sentire, quæritur, quodnam  
 sit primum subjectum sensus: Homo enim  
 esse non potest, aliis tantùm homo sentiret,  
 neq; ob eandem rationem Leo subjectum,  
 primum statuendus est. Percurrendo itaque  
 omnia genera & omnia superiora: Supre-  
 mum est substantia. At neque Homo, neque  
 Leo sentiunt, quia substantia sunt: Quan-  
 doquidem substantia datur, quæ non senti-  
 at: neque quia corpus sunt, quia corpus es-  
 se potest, licet non sentiat: Neque anima-  
 tum corpus, nam datur corpus animatum,  
 sine sensu: Ergo sensus *πρῶτον δεκτικόν*  
 neque est substantia, neq; corpus, neq; cor-  
 pus animatum. Progrediendum itaq; ad a-  
 nimal, quod corpori viventi subicitur, &  
 considerata sunt ea, quæ de omni animali  
 & de solo animali prædicantur: in quorum  
 numero si etiam reperiatur S E N T I R E,  
 colligendum & judicandum est, A N I M A L  
 esse primum subjectum facultatis & affe-  
 ctionis hujus, proindèque Hominem, Leo-  
 nem



nem &c. sentire non quatenus sunt homo, leo &c. sed quatenus sunt animalia.

In inventione mediij demonstrationis sive causæ proximæ, ad duo potissimum est respiciendum: Nempe ad Problema demonstrandū, sive ad conclusionem, & ad ipsum mediū.

In problemate observandum est: primum ut id rectè constituatur, nempe ut propria affectio dicatur de subiecto primo, quod *dividua* ipsum mediū continet; Deinde an quæstio concludenda, sive problema, cū alio quodam problemate, nobis noto, conveniat, quod fieri potest duobus modis: Aut quando alterum sub altero continetur, aut quando plures quæstiones idem habent mediū, idq; vel genere vel specie. Quæstiones, ratione mediij genere convenientes, sunt tales: *Cur fiat Iris? Cur Echo? Cur appareat imago in speculo?* Respondetur propter *reflexionem*: quæ tamen reflexio per species dividenda est. Nam Iris oritur per reflexionem radiorum solarium; Echo ob reflexionem aëris, Imago, ob speciei visibilis reflexionem.

Quæstiones ratione mediij, specie convenientes sunt tales: *Cur ventres animalium, Cur loci subterranei, cur putei sint calidiores hinc, quam estatis?* Respondetur pro-



pter ἀντιθέσιν, & rei contrariæ circumstantiam, quod medium idem specie est.

Quæstiones, quorum medium unius continetur sub medio alterius, sunt hujusmodi: *Cur tonitru est sonus in nubibus?* Quia ibi fit violenta aëris elisio & impulsio: *Cur fit talis impulsio?* Quia exhalatio quædam, quæ accendi potest, subito nubes perumpit, & inflammatur: *Cur illa nubes subito perumpit & inflammatur?* Nubium enim concursu in angustias redacta, exitumque quærens, vi magnâ necessario erumpit, & violento illo motu accenditur.

In medio videndum est, ut illud & cum affectione & cum subjecto reciprocetur: nisi forsan de alicujus subjecti primi specie affectio sit demonstranda: Ibi enim medium est eligendum, quod latius subjecto sit, cum affectione verò reciprocetur.

## CAPUT XII.

*De Analyysi Apodictica.*

**A** Nalysis demonstrativa est resolutio demonstrationis ex mediatis constantis, in primam & immediatam.

Est resolutio hæc duplex: alia est Syllogismi Apodictici affirmativi; alia negativi.



Analysis demonstrationis affirmativæ est resolutio propositionum mediatarum affirmantium in immediatas, quod fit, quando tale sumitur medium, quod de minore extremo per se & quatenus ipsū, & de quo similiter majus extremum, affirmatur. Itaque semper ascendendum, descendendumve est, ut medium nunquam cadat extra majus extremum, donec immediatæ propositiones constituentur.

Analysis Demoustrationis negativæ est duplex: aut enim resolvitur in primam, aut secundam & tertiam figuram.

Quando in primam figuram fit resolutio, tum etiam medium non cadit extra majus extremum.

Quando in secundam fit resolutio, tum medium extra majus, sed non extra minus esse potest: De majore enim affirmativè, sed de minore negativè prædicari potest.

Quando in tertiam fit resolutio, nec extra subjectum, nec extra prædicatum medium cadere debet.

## CAPUT XV.

### *De Methodo.*

**M**ethodus generatim accepta, est instrumentum Logicum ad rerum cognitionem assequendam utile. Metho-



Methodus dividitur in Ordinem & Methodum propriè ita dictam.

Ordo est habitus intellectus instrumentalis, quo res in disciplinis tractandas ante vel post ponimus, idq; ob meliorem & faciliorem disciplinarum cognitionem.

Methodus speciatim dicta, est habitus intellectus, instrumentalis, quo illa probamus, quæ per ordinem ante vel post posita sunt, idque ut perfectam rerum cognitionem assequamur.

Methodus, itemq; Ordo duplex est, aut *compositivus sive συνθετικός*, aut *αναλυτικός sive resolvens*.

Ordo componens est instrumentum Logicum, quo scientias ita disponimus, ut à primis rei principiis initio facto, ad secunda, & ita deinceps progrediamur, donec ad ultimam perveniamus, ut rerum scientiam quàm optimè & facilimè aliis tradamus.

Resolvens est instrumentum Logicum, quo artes ita disponimus, ut à ratione finis ad cognitionem principiorum progrediamur, idq; propterea, ut quàm optimè & facilimè ars aliqua tradatur.

Si Methodus alia est demonstrativa, alia resolvens.



134 DE SYLLOGISMO.

Demonstrativa Methodus est demonstratio propter quid.

Resolvens est demonstratio Quod.



SECTIO SECUNDA.

De Syllogismo Dialectico.

CAPUT I.

*De definitione Dialectici Syllogismi.*

DE Syllogismo, materiam necessariam respiciente, qui Demonstratio, dictus fuit, hactenus egimus: sequitur nunc Syllogismus Dialecticus.

Et hujus consideratio est, vel Theorica, vel Practica.

Theoriam ut priore loco tractemus, definimus Syllogismum, qui ex probabilibus præmissis colligit probabilem conclusionem.

Probabilia sunt, quæ videntur vel omnibus vel pluribus, vel sapientibus, atque his vel omnibus vel pluribus, vel sapientissimis, modo non sint *ᾠδοξία*, id est, præter omnem opinionem.

CA.



## CAPUT II.

*De propositione & quaestione Dialectica in genere.*

Quodcumq; itaque dialecticè ad probandum, vel examinandum proponitur; proponitur, vel ut propositio, vel ut quaestio Dialectica.

Hæ licet pene idem sint, nihilominus certo respectu & limitatione distinguuntur.

Propositio Dialectica est interrogatio probabilis, quæ apertè interrogat id, quod videtur omnibus vel plurimis &c. ut: *Anne parentes diligant natos suos?*

Talis propositio dicitur alio nomine *interrogatio*. Cogitur enim is, qui disputationem instituit, petere ab eo, cum quo congregatur, an veram propositionem statuatur.

Quaestio Dialectica, alio nomine *problema*, est, quando de aliquâ re neutram in partem consentiunt homines, aut contra pleriq; ac sapientes, aut sapientes contra ac pleriq; aut utriq; ipsi secum discordant.

Talis Quaestio duplici interrogationis notâ ( tamen interdum altera, brevilitatis causâ omittitur ) exprimitur, ut  
intel-



intelligatur, utramq; partem quæstionis, & affirmativam, & negativam, propter maximam obscuritatem, subtilitatem, & difficultatem, esse respiciendam & examinandam: ut, *utrum felicitas politica consistat in actione virtutis, nec ne?*

## CAPUT III.

*De speciebus Propositionum & Quæstionum Dialecticarum.*

Propositiones & Quæstiones Dialecticæ dividuntur vel generaliter, vel specialiter respectu certæ materiæ.

Generaliter sumptæ quærent, vel de essentiâ subjecti, vel de accidente.

Quando quæritur de essentiâ, quæstio est vel Definitionis, vel Generis.

Problema definitionis est: *utrum animal rationale sit definitio hominis, nec ne: Item utrum sensus idem ac scientia, an aliud?*

Problema Generis est, quo quæritur, an hoc non solum omni alteri insit: verum etiam an insit ut genus, sive an prædicetur in Quid. Ut *an omni virtuti insit scientia, & an scientia sit Genus virtutis.* Sæpius enim Genus in dubium vocatur, ut cum quæritur, *an amicitia sit virtus.*

Quand



Quando quæritur de Accidente, quæstio est vel Proprij, vel Accidentis communis.

Problema proprij est, quo quæritur, An hoc non solum insit omni alteri, verum etiam an soli insit? *An omnis magnes trahat ferrum & solus?*

Problema accidentis est, quo quæritur: An hoc illi insit, an hoc de illo possit dici affirmando, & an de omni, an de aliquo. *Ut omnine virtus, an aliqua tantum per se sit expetenda?*

Quæstiones specialiter & respectu certæ materiæ dividuntur in reales, & instrumentales.

Reales in Morales, & naturales.

Morales sunt: ut, *fitne parentibus potius parendum, quam legibus, si discrepent?*

Naturales: ut, *sintne decem cæli an non?*

Instrumentales sunt quæstiones Logicæ: ut, *Num tres tantum, an quatuor sint Syllogismorum figurae?*

#### CAPUT IV.

### *De medio termino Syllogismi Dialectici.*

**H**Actenus Theoria Syllogismi Dialectici fuit; sequitur Praxis, quæ vel interna, vel externa. Inter-



Interna consistit vel in Genesi vel in Analyti.

Genesin Syllogismi Dialectici vocamus facultatem efficiendi Syllogismos probabiles de omni Quæstione propositâ. Ad facultatem hanc, præter generalem illam Theoriam, pertinent *Inventio & Electio termini mediæ*.

Medius terminus Dialecticus est probabile inventum ad faciendam fidem, quod cum subjecto & prædicato conclusionis, aut cum altero eorum probabiliter, hoc est, verisimiliter connectitur, ut ejus, quod vel confirmandum, vel rejiciendum est, assensum quendam non omnino necessarium efficiat.

Hic medius terminus sumitur & invenitur ex cæteris locis.

#### CAPUT V.

##### *De locis Dialecticis in genere.*

**L**ocus à Boëtio definitur sedes argumenti, vel id, à quo ad propositam quæstionem conveniens trahitur argumentum.

Argumentum est, vel artificiale, vel inartificiale.

Artificiale est, quod Dialectici arte & diligentia ex ipsâ quæstione elicitur.

Arti.



Artificiale, vel significat idipsum, ex quo desumitur: vel significat aliquo modo ad id, ex quo desumitur, effectum.

Priori modo sumitur medius terminus vel à nomine, vel à re.

Quando à nomine, locus dicitur Notatio.

Quando à re, locus est duplex: Vel definitio, vel descriptio.

## CAPUT VI.

*De Definitione.*

**L**ocus à definitione dicitur habitudo definitionis ad definitum, ex cuius habitudinis vi argumenta secundum hunc locum sumuntur: quod fit dupliciter: Vel enim utriusque partis quæstionis definitio adsumitur, vel alterius tantum.

Quando alterius tantum adsumitur, tum medium terminum constituit vel definitio subiecti, vel definitio prædicati.

Quando argumētatur ex definitione subiecti argumentationis fundamentum constituunt hæ maximæ.

Quicquid convenit definitioni, convenit etiam definito.

Quicquid non convenit definitioni, neq; definito convenit.

At



Ut si velis probare propositionem hanc:  
*Grammatica est utilis*: probabilis hoc modo:

*Ars bene loquendi & scribendi est utilis.*

*Grammatica est ars bene loquendi & scribendi:*

*Ergo Grammatica est utilis.* Consequentia bona est: Quicquid enim convenit definitioni, convenit etiam definito.

Quando argumentamur ex definitione prædicati, argumentationis fundamentum constituunt hæ maximæ:

Cui tribuitur definitio, eidem tribuitur definitum.

Cui non tribuitur definitio, eidem neque definitum tribuitur.

Ut si velis probare propositionem hanc:  
*Bucephalus est animal*: probabis hoc modo:

*Omne corpus sentiens est animal*:

*Bucephalus est corpus sentiens*:

*Ergo Bucephalus est animal.* Consequentia bona est. Cui enim tribuitur definitio, eidem tribuitur definitum.

Quando argumentamur ex utriusque partis quæstionis definitione, argumentationis fundamentum constituunt sequentes maximæ:

Quando definitio convenit definitioni, & definitum definito convenit,                      Quan-



Quando non convenit definitio definitioni, neque definitum definito.

Tenendum autem hîc est, quòd ex utriusque, nempe subjecti & prædicati, definitionibus simul sumptis, semper oriantur Syllogismi compositi, ut:

*Grammatica est ars bene loquendi & scribendi.*

*Ars bene loquendi & scribendi, ad bonum comparandum, refertur:*

*Quod ad bonum comparandum refertur, est utile:*

Ergo Grammatica est utilis. Consequentia bona est: Nam quando definitio convenit definitioni, & definitum definito convenit.

Ad locum hunc referuntur Differentiæ, in specierum comparatione, quas proximè constituunt.

*In comparatione teneatur hæc regula:*

*Cui magis rei competit definitio, id magis tale est: ut, Utile est, quod ad finem conducit. Ergo quod magis ad finem conducit, magis erit utile.*

## CAPUT VII.

### *De Descriptione.*

Descriptionis loci tractatio eadem est, atque superioris de definitione, non itaque  
novis



novis opus est præceptis. Ut si velis probare Logicam discendam esse hac descriptione, quod sit ars, quæ ad cæteras omnes scientias viam munit.

*Quæcumq; ars ad reliquas disciplinas & scientias viam munit, illa est perdiscenda:*

*Atqui talis ars est Logica:*

*Ergo Logica est perdiscenda. Vera est consequentia: Nam quicquid convenit descriptioni, convenit etiam descripto.*

Huc refertur Locus à proprio. Ut si velis probare: Justitiam esse virtutem, probabis per proprium, quod sit laudabilis.

*Quodcumq; per se laudabile est, id est virtus:*

*Iustitia per se laudabilis est:*

*Ergo, Iustitia est virtus. Consequentia bona est: Nam cui convenit proprium, eidem & convenit id, cuius est proprium.*

*In comparatione teneantur hæ  
regule:*

1. Quod est melioris rei proprium, id quoque melius est, ut proprium hominis, melius est proprio Bruti.

2. Eorum, quæ unius speciei sunt, id melius est, quod propria virtute est præditum, quam quod aliena, ut: potus frigidus melior est calido.

2. Quod



3. Quod magis rei est proprium, id eadem rei melius. *Ut melius est homini ratione uti, quàm sensu.*

## CAPUT VIII.

*De Notatione.*

Quando medius terminus sumitur à Nominis, dicitur locus *Notatio*, quæ nihil aliud est, quàm nominis interpretatio: unde ejus usus in argumentationibus non est admodum firmus, nisi *Notatio* verbi cura re omninò consentiat, adeò ut cum ea recurrat.

Ex hoc loco Adam argumentatur in prima mulieris creatione: *Vocabitur hæc Virago: quia à viro sumpta est ipsa.*

## CAPUT IX.

*De Conjugatis.*

Priorem ordinem argumentorum artificialium habuimus; sequitur posterior continens argumenta, significantia modo aliquo affecta ad id, ex quo desumuntur.

Hæc sunt vel conjuncta, vel disjuncta.

Conjuncta sunt vel connexa, vel circumstantia.

Connexa sunt, vel signa, vel res signata.

Quando



Quando sunt signa, dicuntur *Conjugata*.  
Conjugata sunt, vel primaria; vel secun-  
daria.

Conjugata primariâ significatione sunt  
nomina & verba, ita inter se affecta, ut al-  
terum ab altero denominative deducatur,  
ut *sapiens, sapere &c.* denominativè sunt à *sa-  
pientia*.

Secundariâ significatione dicuntur Deno-  
minativa ejusdem denominationis inter se  
comparata: ut *Philosophia, Philosophari*.

Huc referuntur quoque, quæ casus dicun-  
tur apud Aristotelem, hoc est, adverbia ab  
aliquo denominante deducta, ut *prudenter à  
prudentia*.

Ufus hujus loci consistit in hac maxima:  
Quodcunq; uni conjugatorum convenit,  
aut non convenit; cæteris quoq; suo cuique  
modo convenit, vel non convenire, conclu-  
ditur: ut,

*Justitia est laudabilis.*

*Ergo & justus est laudabilis.* Consequen-  
tia bona est per positam maximam.

*In comparatione valet hæc regula:*

Conjugata sese invicem sequuntur: ut, *Si  
prestantius est rationari, quàm sentire: Pre-  
stantior quoq; erit ratio, quàm sensus.*

CA-



## CAPUT X.

*De Partibus.*

**I**N rebus ipsis connexa considerantur, vel quatenus constituta sunt, vel ratione modi constituendi.

Quatenus sunt constituta, sunt vel partes vel totum.

Partes sunt essentialia, vel Integrales.

Integralium partium argumentatio sumitur ex his maximis:

Omnibus partibus integrantibus positis, ponitur totum.

Sublatâ quâcunq; parte integrante, tollitur totum.

Ut: *Fundamenta sunt posita, parietes extructi, tectum fabricatum:*

*Ergo est Domus.*

Quod secundum alteram regulam, ita refutabis:

*Aut fundamentum nondum est jactum,*

*Aut parietes nondum sunt erecti,*

*Aut tectum nondum est superimpositum:*

*Ergo nondum est Domus.*

Partium essentialium usus consistit in hisce duabus regulis:

G

Posita



Positâ quâcunque parte essentiali, quæ etiam subiecta dicitur, ponitur totum.

Sublatis omnibus partibus subiectis, sive essentialibus, tollitur totum. Ut:

*Hic est animal.*

*Ergo hic est substantia.*

Oportet itaq; si totum removeri debeat, omnes partes removeantur hoc modo:

*Hic neque est animal, neq; corpus animatum non sentiens, neq; corpus imperfectè mixtum, neque corpus simplex, neq; spiritus.*

*Ergo hic non est substantia.*

---

CAPUT XI.

*De Toto.*

**V**T partes, ita & Totum duplex est. Aut enim est totum integrale, quod à partibus suis integratur: aut est totum essenziale sive universale, quod se totum cum qualibet parte subiecta sive essentiali communicat.

Ufus totius integri consistit in hisce duabus regulis:

Posito toto integro, necesse est poni omnes partes integrantes: nempe principales.

Sublato Toto integro, non necesse est tollantur omnes partes, ut:

*si*



*Si hoc est domus; igitur & tectum habet, & parietes, & fundamentum: Si est homo: Ergo habet caput, collum, ventrem, cor, intestina.*

*Si non est domus: Ergo vel tectum vel parietes, vel fundamentum, vel ullas alias partes, domum constituentes, non habet.*

*Ufus totius universalis consistit in hisce duabus Maximis:*

*Posito Toto universalis, ponitur aliqua ejus pars.*

*Sublato toto universalis, tolluntur omnes partes subjectæ: ut,*

*Hic est Virtus. Ergo aut Fortitudo, aut Temperantia; aut similis species.*

*Hic non est virtus.*

*Ergo neque Temperantia neque Fortitudo, neque ulla species.*

*Tenendum hoc loco est, quod quidem posito toto universalis ponatur aliqua ejus pars, sed indefinite & indeterminate: Quando enim dico, hic est virtus; hic est animal: intelligo quidem, quandam virtutis & animalis speciem adesse, sed quænam illa sit, ignoro.*

*Contra verò, secundum alteram Regulam, ubique satis fit intellectui nostro: ut, Hic animal non est: Ergo infinite procedendo concludere possum: Hic non est homo, hic non est leo, hic non est bos &c.*



*In comparatione valent hæc regule:*

1. Plura bona anteponenda sunt paucioribus, quod hæc in illis tanquam partes in toto contineantur: ut, *eruditio cum virtute preferenda est eruditioni sine virtute.*
2. Quod simpliciter & in universum bonum est; quod semper & ut plurimum est utile; quod ad omnia vel plura utile est; quod est in genere aliquo; id melius est eo, quod alicui est bonum; quod aliquando est bonum; quod ad pauciora est utile; & quod non est in eo genere. Exempla ubique sunt obvia.

## CAPUT XII.

*De causâ efficiente.*

**A**rgumenta ratione modi constituendi considerata, sunt Causa & Effectus.

Causa est, quam sequitur vel sequi potest effectus.

Causa est vel Externa, vel Interna.

Externa est, vel Efficiens, vel Finis.

Causa efficiens est, à quâ primò fit motus, ut aliquid fiat.

Causa efficiens per certos modos est dividenda.

Primus



Primus modus est: Efficiens est vel principalis, vel famulans sive instrumentalis.

Principalis, vel est simpliciter principalis, ut *Deus*: vel certo modo, ut *Architectus in constructione adium*.

Causæ famulantes sunt, quæ principalibus inserviunt.

Secundus modus: Causæ efficientes, vel faciunt ad rei constructionem, vel ad rei destructionem.

Efficientes construentes sunt, vel procreantes, vel conservantes.

Ex hoc loco disputat Apostolus Paulus: *Vos Iudæi sancti esse potestis, quia radix sancta est: Et Christus: Vos Pharisei non potestis bona loqui: quia progenies viperarum estis.*

Sic Aristoteles ex causis conservantibus disputat, hominem diutius, quam quadam animalia majora, vivere, quod in homine sit melior proportio calidi & humidum, conservantium vitam.

Ad locum hunc refertur locus generationum & corruptionum, cujus vis arguendi in hisce maximis est:

1. Si generatio bona est, bonum est, quod oritur.
2. Si generatio mala; malum oritur.
3. Si



3. Si corruptio bona est, res mala est quæ corrumpitur.

4. Si corruptio mala est, res bona est, quæ corrumpitur.

*Ut, Christi nativitas cælum & terram latificat: Est igitur ipse natus cælis & terris festibus.*

*Melior est acquisitio sapientiæ acquisitione auri & argenti. Prov. 3. Ergo sapientiæ melior est omni auro, omni argento.*

*Destruere idola, eorum delubra subvertere, lucosque succidere, bonum est: Ergo idola &c. sunt mala &c.*

*In comparatione valent hæc regula:*

1. Quod per se est causa boni, id præstantius est eo, quod ejus causa per accidens  
*est, virtus, quàm fortuna,*

2. Id, quo melior res comparatur, magis expetendum est; & contrà id, quo melior res magis impeditur, magis fugiendum est.

3. Duobus efficientibus, cujus finis præstantior, id præstantius: Medicus, quàm farcor.

### CAPUT XIII.

#### De Fine.

**F**inis est causa, propter quam res est, unde  
*in gratia aliquid facimus. Ut, Deus non*  
*est*



*est blasphemandus, quia omnia in gloriam Dei sunt facienda.*

Finis est duplex, alius est internus, qui semper necessario in effectu producendo requiritur, ut: *finis internus Logices est Syllogismus*: alius externus, qui etiam abesse potest, stante effectu, ut *finis externus, Logices est, ut Veritatem cognoscamus.*

*In comparatione valent hæc regula.*

1. Finis magis expetendus est, quàm id quod ad finem ducit. *Ut, magis expetitur victoria, quàm bellum.*

2. Inter ea, quæ ad finem conducunt, id quod fini propius est & ad eum accedit, magis appetendum est, ut *metere frumentum, quàm serere.*

#### CAPUT XIV.

##### *De Materia.*

**C**AUSÆ internæ sunt Materia & Forma.  
Materia aut propriè ita dicitur, aut per analogiam.

Materia, propriè ita dicta, est ea, quæ modo definivimus, & dicitur materia ex qua.

Materia, per analogiam ita dicta, est vel materia in quâ, vel materia circa quam.



Materia in quâ est subjectum respectu cuiuscunq; formæ. Hoc modo est lapis materia forma insculpta.

Materia circa quam est, circa quam actio & operatio aliqua versatur; quâ significatione dicuntur virtutes materia laudis, & vitia materia reprehensionis.

Ex hoc loco disputat Aristoteles lib. 1. de Cæl. cap. 2.

*Cælum interire non potest: quia non constat ex Elementis.*

*In Comparatione valent hæ regule:*

1. Melius est, quod rei meliori inest, ut quod in animo, quàm quod in corpore.
2. Quod prioribus, quàm quod posterioribus.
3. Quod circa materiam præstantiorem versatur, id quoq; præstantius est.

## CAPUT XV.

### *De Forma.*

**F**orma aut est in rebus, aut est extra res.

Forma in rebus est vel substantialis, vel accidentalis.

Forma substantialis est, vel informans, vel assistens.

Informans



Informans est, per quam res est id, quod est. Ab hac itaque totum esse formati, ejusque actiones propriæ dependent, ut ignis refrigerare non potest: quia ignis formam non sequitur refrigerandi potestas.

Forma informans est duplex: quædam enim extra suum subjectum & materiam existere potest, & est separabilis, ut anima rationalis. Hinc disputat Christus Matth. 10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere: Timete autem eum, qui & animam & corpus potest perdere in Gehennam.

Quædam non potest extra subjectum existere, & est inseparabilis, ut sunt reliquæ formæ naturales.

Forma assistens est, quæ tantum est causa motus in subjecto, ut motus cælestis semper est æqualis: quia regitur ab intelligentiis juxta Aristotelem.

Accidentalis forma est accidens hærens in subjecto, ut color respectu corporis: figura statuæ respectu lapidis sive ligni: scientia respectu animæ.

Forma extra res dicitur forma externa, & est exemplar ejus rei quæ exemplaris imitatione fit, dicitur forma exemplaris, exemplar &c. Quæ forma proprie loquendo



est conditio, causæ efficientis per intellectum operantis.

*Maxime causarum continentis usum*

*Dialecticum:*

1. Quando non datur causa, non datur effectus.

2. Datâ causâ in actu, datur & effectus.

3. Cujus conditionis est causa, ejusdem quodam modo effectus est.

*In comparatione valent hæc regula:*

1. Quod propter se expetitur, præstantius est, quàm quod propter aliud, aut per accidens.

2. Quod suâ naturâ bonum melius est, quàm quod non naturâ: ut *justitia, quàm justus.*

#### CAPUT XVI.

#### *De Effectu.*

**E**ffectum est, quod ex causis existit.

Ufus hujus loci idem est, ac superioris, ordine duntaxat Pronunciatorum perverso & permutato: ut,

*Deus creabit omnia ex nihilo.*

*Ergo habet potentiam infinitam:*

*Alia*



*Alia est proprietas quarti modi hominis, & alia proprietas quarti modi equi:*

*Ergo alia est forma hominis, alia est forma equi.*

Pertinet huc locus de usibus, cujus vis est in hisce Regulis:

Cujus usus est bonus, id bonum est:

Cujus usus est malus, id malum est,

*Ut, Logica bona est: quia ejus usus bonus*

*est:*

*Sophistica mala est, quia ejus usus est malus.*

*In comparatione haec valent regule:*

1. Quod possibile & facilius, id potius eligendum, quam impossibile, & difficilius.

2. Quorum generatio est magis optanda, & corruptio magis fugienda, ea magis expetenda sunt.

3. Quae difficilius conquesta sunt, chariora nobis sunt.

### CAPUT XVII.

*De antecedentibus & consequentibus.*

**L**ocis causarum & effectorum adhaeret locus de antecedentibus & consequentibus:



bus: non quòd alterum sit causa alterius, sed quia ferè ex eàdem causà vel radice procedunt, & quia ad eandem causam reducuntur.

Antecedentia & consequentia hoc loco non sunt duæ partes argumentationis, sed duæ res, quæ necessariò antecedunt & consequuntur.

Ufus loci antecedentium consistit in his regulis:

Posito antecedente, necesse est poni consequens:

Sublato consequente, necesse est tolli antecedens, ut:

*Habet vulnus in corde,*

*Ergo, Brevis morietur.*

*Iustitia est virtus,*

*Ergo, rationi est consentanea.*

*Injustitia rationi non est consentanea,*

*Ergo non est virtus.*

Ufus consequentium in hisce duabus Regulis est Positus:

Sublato antecedente, necessariò tollitur consequens:

Posito consequente, necesse est poni antecedens, ut:

*Hic infans non adolescit;*

*Ergo, nec juvenis erit.*

*Hic*



*Hic infans juvenis erit :*

*Ergo & Adolescens.*

In comparatione hæ maximæ tene-  
antur :

1. Cujus consequens est majus bonum, aut minus malum, id potius eligendum est.
2. Quod magis insigne, & laudabile, quam quod minus.

### CAPUT XVIII.

#### *De circumstantibus.*

**A**rgumenta connexa hætenus fuerunt :  
Sequuntur Circumstantia.

Circumstantia sunt adjuncta, quæ cum re quidem coherent, sed tamen non sunt necessaria.

Hæc sunt vel præcurrentia, vel simul cum rebus, quibus circumstant.

Præcurrentia sunt, quæ rem antecedunt, ut *parenta, nobilitas majorum.*

Quæ simul cum rebus sunt, vel sunt simpliciter, vel modo quodam, nempe aliquo modo consequuntur.

Quæ simul sunt simpliciter cum re, dicuntur concomitantia, nempe quæ rem semper concomitantur, ut *locus, tempus, occasio, dignitas, socij,*

G

Relis



Reliqua dicuntur subsequencia, ut *laus, honor, divitia partæ.*

Uusus hujus loci consistit in generali hoc pronunciato:

Qualia sunt circumstantia, talem verisimile est esse rem, quam circumstant.

Ad præcurrentia pertinet illud Christi Matth. 16 *Facto vespere dicitis: serenum erit: Rubicundum enim est cælum: Et mane, hodie tempestas, quia rutilat cælum. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: Signa autem temporum non potestis.*

Ex concomitantibus arguit Christus Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cælis:*

Ex consequentibus disputat Ecclesiastes cap. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius.*

In comparatione teneantur ma-

xima: Quod diuturnius est, id præstantius (nempe si, quæ conferuntur, sint bona.)

Et quod ex majore experientia, & temporis progressu, majorem vim habet, ut prudentia senum, quam adolescentium.

3. Quæ sine aliis merito expeti possunt,

ante-



anteponenda sunt iis, quæ sine aliis experi non debent: ut, prudentia potestati &c.

## CAPUT XIX.

*De Similibus.*

**A**rgumenta conjuncta hæctenus fuerunt: sequuntur disjuncta.

Disjuncta sunt vel consentanea, vel dissentanea.

Consentanea sunt vel simpliciter consentanea, vel modo quodam.

Simpliciter consentanea sunt, quæ, exceptâ identitate, ubiq; consentiunt.

Hic consensus est vel in Qualitate, vel in Quantitate.

Si in qualitate est, argumenta dicuntur Similia.

Si in quantitate, argumenta dicuntur Paria.

*Notatio.*

Notandum hoc loco est, vocabulum Simile, ut & Qualitatis, non sumi pro qualitate rerum, sed pro Qualitate, similitudine, & analogia argumentationis. Unde qualitas hæc & similitudo non tantum ex Predicamento Qualitatis, propriè dicta dicitur, sumitur, verum etiam in aliis predicamentis locum habet.

Ufus



Uſus huius loci conſiſtit in hiſce duobus  
axiomatis:

Quod in uno ſimilium valet, valet in cæ-  
teris.

Quod non valet in uno, nec valet in cæte-  
ris, Ut:

*Qui vineam plantat, de fructu ejus veſcitur; &  
qui gregem paſcit, de lacte ejus manducat: Ergo  
qui populum Domini docendo colit & paſcit me-  
rito debet ab illo temporalia ſubſidia accipere.  
Item, Bobi in triturâ laboranti cibus non eſt de-  
negandus: Neq; igitur Doctori in doctrinâ labo-  
ranti.*

In comparatione teneatur hæc  
maxima:

Quod rei bonæ propinquius eſt, vel ſimi-  
lius, aut meliori ſimilius; id quoque melius  
eſt.

#### CAPUT XX.

##### *De paribus & proportione.*

**P**aria hoc loco dicuntur ea, quæ eandem  
& æquam habent probabilitatem.

Unde uſus huius loci conſiſtit in hac re-  
gula:

Si data propoſitio, vera eſt aut falſa, ea et-  
iam, quæ videtur æquè probabilis, vera eſt  
aut falſa, ut Luc. 6. Noli-



*Nolite condemnare & non condemnabimini,*

*Nolite judicare & non judicabimini.*

In comparatione teneantur hæ  
maximæ.

1. Si hoc genus est melius illo, id, quod optimum est in hoc, est præstantius eo, quod est optimum in illo, *ut si homo melior est equo, dignissimus homo melior erit & præstantior, generosissimo equo.*

2. Si id, quod in hoc genere est optimum, præstantius est, quàm quod optimum in illo, hoc certè genus præstantius est illo. Invertatur jam positum exemplum.

3. Si absolutum prædicatum sequitur absolutum subjectum, incrementum prædicati, sequitur incrementum subjecti. Quod de illis, quæ per se dicuntur, potissimum intelligatur, *ut honestum est bonum: honestius melius, & honestissimum optimum.*

## CAPUT XXI.

*De Majoribus.*

**M**odo quodam consentanea dicimus Majora & Minora.

A majori dicitur sumi argumentum, quando ab eo, quod magis apparet, procedimus



dimus ad id, quod minus apparet. Majus enim hinc non de quantitate, sed de majore probabilitate est intelligendum.

Hinc usus hujus loci consistit in hac Maxima:

Si id, quod probabile videtur, non est verum, nec id, quod minus videtur probabile, verum erit. Semper itaque negative valet argumentum, ut:

*Rex fortissimus hanc civitatem non poterit expugnare:*

*Ergo neque Dux, aut comes impotentior.*

*Magis enim probabile est, Regem expugnare civitatem, quam Ducem, aut comitem.*

## CAPUT XXII.

### *De Minoribus.*

Quemadmodum Majora: ita & Minora hoc loco dicuntur de minore probabilitate, proceditque ab eo, quod minus apparet, ad id, quod magis apparet.

Usus hujus loci consistit in hac maxima:

Si id, quod minus probabile, verum est, & id etiam erit, quod magis probabile videtur.

Hinc tantum affirmative ex hoc loco argumentamur: ut,

*Ethnici homines diligunt sibi benefacientes.*

*Ergo*



*Ergo multò magis Christiani. Item:  
Christus nos dilexit, & pro nobis mortuus est:  
Ergo multò magis nos debemus fratres dilige-  
re, ac pro illis animas ponere. 1. Joh. 3.*

## CAPUT XXIII.

*De Dissimilibus.*

**C**onsentanei loci fuerunt, sequuntur dis-  
sentanei.

Dissentanea argumenta sunt disjuncta,  
quæ inter se dissentiunt.

Dissentanea sunt vel dissimilia, vel oppo-  
sita & repugnantia.

Dissimilia hoc loco dicuntur argumenta,  
quibus, quatenus nimirum dissimilia sunt,  
nec unum aliquid commune est, nec plura,  
quæ inter se proportionem habeant, ut ni-  
grum & album.

Ufus hujus loci in hac maxima confi-  
sit:

Dissimilibus dissimilia conveniunt, &  
quod uni Dissimilium, quia dissimile est, con-  
venit, non convenit alteri: ut,

*Probus, quia probus est, laudandus est:*

*Ergo Improbus, quia improbus est, vituperan-  
dus est.*

CA-



*De Oppositis in genere.*

**O**pposita aut in genere considerantur, aut in specie.

In genere quando argumentamur ex oppositis, tum argumentationis fundamentum sumitur ex duabus sequentibus maximis:

1. De quocunq; affirmatur unum oppositum, de illo negatur alterum; ut,

*Plato est preceptor Aristotelis:*

*Ergo, Plato non est Aristotelis discipulus.*

2. Si alterum è duobus oppositis sequatur alterum è duobus aliis, alterum ex prioribus sequetur alterum ex posterioribus: Quod si posterius non sequatur posterius, neque prius sequetur prius, &c. ut:

*Cum laudandum & vituperandum sint contraria, etiam virtus & vitium contraria erunt: Omnis autem virtus sit laudanda, omne haud dubie vitium erit vituperandum, aliàs illa non esset laudanda.*

*Cum animal & non animal sint contradicentia, item & homo & non homo. Omnis autem homo sit animal. Omne utiq; non animal erit non homo. Si enim non omne non animal esset non homo, neq; omnis homo esset animal.*



## CAPUT XXV.

*De Relatis.*

**O**pposita in specie considerata, sunt vel Relativa & Contraria; vel Privativa & Contradictoria.

Relativorum oppositorum usus consistit in hisce duabus regulis:

Quæ ad se mutuò referuntur, se mutuò ponunt & tollunt, ut:

*Pater est: Ergo habet Filium.*

Ex hac regula disputat Johannes Baptista Iohan. 3. de Christo & Ecclesiâ: *Qui habet Sponsam, Sponsus est.*

Quæ ad se mutuò referuntur, mutuò quoque intelliguntur & ignorantur.

Ex hac regula disputat Christus Ioh. 14. *Si cognovissetis me, cognovissetis utique & patrem meum.*

## CAPUT XXVI.

*De Contrariis.*

**C**ontraria alia sunt Immediata, alia sunt Mediata.

In contrariis ab unius, sive sit immediatum sive mediatum, affirmatione ad alterius negationem rectè progredimur, ut:

*Hic paries est albus: Ergo non est niger.*

*Hæc aqua est frigida: Ergo non est calida.*



In contrariis immediatis à negatione unius ad affirmationem alterius etiam rectè procedimur, nempe si sumatur subjectum susce-  
ptibile, ut:

*Hoc animal non est sanum: Ergo est aegrum.*

*Hoc animal non est aegrum: Ergo est sanum.*

In contrariis mediatis à negatione unius ad affirmationem alterius non valet argu-  
mentum, ut *pannus non est albus: Ergo est ni-*  
*ger.* Nulla consequentia est: quia neque albus  
neque niger esse potest, sed alio quodam colore  
medio esse tinctus, ut fit vel glaucus, vel ru-  
beus, &c.

## CAPUT XXVII.

*De privativè oppositis.*

**I**N privantibus ab affirmatione ad negatio-  
nem universaliter rectè procedimus: ut,

*Hic homo est cæcus: Ergo non videt.*

*Hic homo videt: Ergo non est cæcus.*

A negatione ad affirmationem universa-  
liter non rectè argumentamur, ut:

*Lapis non potest videre: Ergo est cæcus.*

*Catulus ante nonum diem non videt: Ergo est  
cæcus.*

*Puer recens natus dentes non habet: Ergo est  
edentulus.*

Nihil hic sequitur. Lapis enim non rectè  
dicitur cæcus, neque catulus ante nonum



diem: neque puer recens natus edentulus est.

## CAPUT XXVIII.

*De Contradictoriis.*

**I**N terminis contradictoriis semper valet argumentum ab unius affirmatione ad alterius negationem: & contra, ab unius negatione ad alterius affirmationem, ut: *Si verum est, omnem hominem esse mortalem; falsum est aliquem hominem non esse mortalem: Et si illud falsum: hoc verum erit.*

Fundamentum huius argumentationis consistit in hac maxima:

De quolibet est vera vel affirmatio vel negatio, de nullo vero utraq; simul.

Ubi iterum generalis hac maxima tenenda est:

Ex contrariis immediatis privative oppositis & contradicentibus, si alterum non convenit, alterum conveniat necesse est.

*In comparatione oppositorum tenenda est hac maxima:*

Quae suis contrariis minus admista sunt, ea magis talia sunt: ut, *id magis est album, quod minus nigredinis habet admixtum.*

CA.



*De loco repugnantium.*

**N**Otandum hic est, quod licet præcedentes quidam loci oppositorum inter repugnantia (ue quodam modo referri possint, tamen locus repugnantium longè generalior est, quippe qui & disparata includit, de quibus hoc loco & sub hoc titulo potissimum agitur.

Ufus hujus loci consistit in his regulis:

1. Cui convenit unum ex repugnantibus, non convenit alterum vel reliqua.
2. Si repugnantia sint immediata in aliquo genere, cui non convenerit alterum vel omnia præter unum; eidem conveniat alterum vel reliquum necesse est.

Prioris regulæ exemplum est:

*Corpus est & tangitur: Ergo non est Spiritus.*

Exemplum posterioris pronuntiati est:

*In utero inflato est corpus aliquod corruptioni obnoxium, non mistum, non aqua, non terra, non ignis: Ergo aër.*

In comparatione teneatur hæc  
maxima:

Si è duobus unum negamus, ut alterum in nobis habere videamus, ad magis expectandum



tendum est, quo præditi videri volumus, ut :  
*Negamus nos laborare posse, ut ingeniosi videamur.*

## CAPUT XXX.

*De Auctoritate.*

**A**rtificialia argumenta hæcenus fuerunt :  
 sequuntur Inartificialia, quorum vis probandi consistit in auctoritate.

Autoritas est duplex : alia est divina, alia humana.

Autoritas divina, summa est, tum sapientia, tum bonitas Dei infinita, quæ neque falli neque fallere potest : sed semper immota, certissima & firmissima est, adeoque tanta ejus vis apud Theologos & omnes pios, ut omnia rationis momenta longissimo intervallo superet : atq; tribuitur auctoritas hæc divinis Scripturis.

Ex auctoritate verò humanâ aliquid probamus ita esse, vel non esse, eo, quod vel omnes, vel plurimi, vel magis sapientes, magisque experti in quâlibet professione, ita sentiant.

Ad auctoritatem itaque humanam duo potissimum requiruntur i. rerum cognitio & virtus. Illa ut sciamus; hæc, ut velimus, juxta ea, quæ intelligimus proloqui,

H

Exem-



Exemplum sit. *Physici asserunt, quatuor esse Elementa, ex quibus mixta omnia componuntur: Ergo verum est.*

Teneatur hinc regula:

In verbis sequamur vulgi consuetudinem, in sententiâ, de rebus referendâ, iudicium sapientum: vel quod idem est; Loquendum ut plures, sapiendum ut pauci.

In comparatione teneatur hæc regula:

Id melius est, quod potius eligit prudens, aut vir bonus, aut certa lex, aut qui in illâ re, quam eligit, excellit: simpliciter verò melius est & magis eligendum, quod melior disciplina eligendum suadet & præcipit.

CAPUT XXXI.

*De Analyfi Syllogismi Dialectici.*

Genesis Syllogismi Dialectici hætenus fuit; sequitur ejusdem Analysis, ubi in primis duo observanda sunt:

1. An propositio sive quæstio proposita sit accidētis, generis, proprii, vel definitionis.
  2. Ex quo loco medium sit desumptum.
- Ubi iterum duo tenenda sunt: prius ut sciamus

mus



mus, ad quem titulum inventionis argumen-  
torum rectè reducatur: Posterius, ut simul in-  
telligamus, ex quo axioma & Regulâ Topi-  
câ vim arguendi & concludendi habeat.

## CAPUT XXXII.

*De usu Dialectico in docendo.*

**P**Raxis Dialectica externa consistit in usu,  
qui est vel in docendo, vel in disputando.

Ufus docendi est, quando ex hætenus  
propositis præceptis simpliciter rem tracta-  
mus, & nemo est, qui ex alterâ parte respon-  
deat.

Qui autem vult docere, duplex in se susci-  
pit munus: sua nimirum confirmandi, & con-  
traria refutandi.

*In confirmatione alicujus Thematis  
observentur Regule:*

1. In primis vocabulum rei, de quâ agere  
volumus, explicandum est: ne forsitan vel illi-  
us ambiguitate, vel obscuritate decipiamur;  
quod commodè fieri potest vel per distinctio-  
nem, vel per interpretationem,

2. In progressu confirmationis accura-  
tè observemus, quomodo argumenta ad quæ-



stionem applicari & debeant & possint: Aut enim omnia argumenta ad unam quæstionem referenda sunt, aut diversis applicanda.

3. Quando omnia argumenta ad unam quæstionem confirmandam conspirant, observandus est ordo ille doctrinæ, in enumeratione locorum hætenus propositus; id tamen non sine discretionem: Leviora enim & faciliora argumenta neque primum neque ultimum teneant locum, sed vel omnino rejicienda, vel si consultum videatur, in medio ponenda. Possunt etiam aliter aliis de causis disponi argumenta, modò doctrinæ ordo non negligatur.

4. Si alia argumenta ad alias propositiones, de eadem tamen re præcipientes, sint applicanda, servemus potissimum hunc ordinem, ut nimirum primum ostendamus, rem esse; tum quid sit, tertio qualis sit; & tandem cur talis sit. Hunc ordinem probavit & observavit *Arist. lib. 2. post. analyt. cap. 1.*

*In refutatione triplici uti possumus ordine.*

1. Ut nostram sententiam, quam veram esse putamus, priore loco constituamus & *confir-*



confirmemus : & deinde ex veritate constituta & comprobata, aliorum opiniones & argumenta & momenta refutemus, & vel omnino rejiciamus, vel quid veri contineant, indicemus. Hac methodo utitur Philosophus *lib. 3. Phys. c. 2. & seq.* quando de natura motus differit.

2. Ut primum falsas opiniones rationesque proponamus, illasque statim secundo loco refellamus, & tandem ad id, quod verum statuimus, progrediamur, indicantes simul quomodo & in quibus confutatae opiniones & rationes veritatem attingant. Hac utitur Methodo Philosophus *lib. 1. Physicorum, in investigatione principiorum naturalium* : In *libris de anima* : quando animae naturam inquirit : Et in *Ethicarum*, quando monstrat, in qua re posita sit felicitas.

3. Ut primo loco pro utraque parte rationes & argumenta, quae quaestionem ambigua faciunt, proponamus : Secundo veritatem determinemus & confirmemus : & tandem tertio, veritate confirmata, rationes contrarias dissolvamus, quomodoque verae sententiae repugnent, monstremus. Hac methodo utitur Philosophus *toto lib. 4. Physicorum*, quando de loco, vacuo & tempore disputat.



*De usu Dialectico in disputando: &  
quidem in specie de officio  
opponentis.*

**S**equitur, ut de disputationibus aliquid sub-  
jiciamus.

Disputatio est collatio diversarum sen-  
tentiarum, ubi nimirum alter nititur pro vi-  
rius propositum defendere, alter impugna-  
re, idque veritatis evolvendæ, cognoscendæ  
que & explicandæ causâ.

Consistit itaque disputationis ratio in in-  
terrogando sive argumentando, & respon-  
dendo. Dicendum verò prius, quodnam sit  
officium argumentantis, tum quod respon-  
dentis.

*Opponentis officium exprimitur  
sequentibus regulis:*

1. Thema, quod respondens ad defendē-  
dum assumpsit, diligenter intueatur opponens,  
& quomodo illud impugnari & everti possit,  
diligenter scrutetur.

2. 1m.



2. Impugnatio & everſio alicujus thematis vel proſitionis dupliciter fieri poteſt, vel directè, quando argumentatio recta ad ſcopum thematis evertendum, dirigitur: ut ſit alicujus Epicurei thema: *Omneſ voluptatem eſſe bonam*: id directè tali infringitur argumento:

*Quicquid pugnat cum rectâ ratione, non eſt bonum.*

*At quedam voluptas (nempe qua eſt ex adulterio, furto, & ſimilibus vitiis) repugnat cum rectâ ratione.*

*Ergo quedam voluptas non eſt bona.*

Vel obliquè ſive ex hypotheſi quod poſſiſſimum ſit reductione ad impoſſibile, quâ poſitâ & datâ theſi, abſurda colligitur ſententia, quæ thema invertat & deſtruat. Ut Epicureus ſtatuit, *omneſ voluptatem eſſe bonam*: ſubſumatur itaque.

*Omneſ voluptas & oblectatio, que oritur in malis ex adulterio, furto & ſimilibus vitiis, eſt voluptas. Ergo & illa erit bona. Aſt nemo adeo amens eſt, qui eam bonam judicet, & non potiùs eam peſſimam & pernicioſiſſimam ſtatuat: Ergo falſum erit thema Epicurei: Omneſ voluptatem eſſe bonam.*

3. Videndum eſt, an proſiſſimum thema ſit Dialecticum, hoc eſt, contineat materi-



am Dialecticam siue probabilem & contingentem quæ quia ab ingeniosis facile potest flecti, quærenda sunt ea ab Opponente, quibus positum thema facile infringi & Respondens facile convinci possit: ubi tamen cautè agendum est: Nempè proponendæ sunt quæstiones aliquantò remotiores ab afectione Respondentis: Si enim proximæ fuerint propositæ, artificium hoc intelliget Respondens, & vel omnia negabit, vel quæstiones nullas admittet. Circumveniendus itaque interdum est vel multitudine quæstionum, vel securior reddendus seductione, ubi opponens simulet, se vel aliud, ad propositum nihil attinens, agere; vel Respondentis affectionibus astipulari: tum enim redditur securior, & quasi occupatus in rebus alijs & ad se nihil attinentibus, incipit dicere liberè quæ sentiat, & veritati sine magis consentanea.

4. Fieri potest, ut probanda Opponenti sit propositio, vel major vel minor, vel simile quid, cujus probatio vel dati non possit, vel statim in promptu non sit: Circumveniendus itaque incautior Respondens sermonibus probabilibus, ut existimet aliquid probari, ubi tamen nihil probetur, atq; ita à suo proposito abducendus est.

5. Aliter



5. Aliter cum circumspecto & cautiore agendum erit. Is enim urgebit probationem: Tum certè nulla alia dabitur elabendi rima, quàm vel ut probet Opponens suam propositionem: Vel si non poterit, urgeat suum thema probatione non indigere, sed naturâ notum, & perspicuum esse: Hoc quando ita eruditâ urget sophisticatione, involvitur, & abducitur, seduciturque ingenium vel promptissimum, acutissimumque, & opponens cum honore evadere potest: Vel tertio occasionem quærat hypothesein substituendi falsam, sed non impossibilem, ut dicat: Ponamus hæc ita se habere: Inde enim interdum aliquid colligitur, vel etiam respondens à scopo abducitur: Vel quarto & ultimo cogatur Respondens, thema, contra quod propositionem probandam proposuit Opponens, explicare, & illa, quæ obscurius sint dicta, alio modo exprimere, fingatque Opponens, se hoc vel illo modo (nempe sensu contrario) intelligere mentem respondentis: Eo fit, ut respondens multas, variasque propositiones cumulare, multasque & varias consequentias educere cogatur, quas commodè negare potest Opponens, atque cogitur Respondens affirmationes suas probare, & tum à scopo priore abductus & seductus est.

H 5

6. Quan-



6. Quando Respondens multus est sermone, & res per species, per individua enumerat: Tùm videndum est, quæ qualisvè sit specierum & Individuorum enumeratio, & eo laborandum, ut ei possit objici vel species vel individuum adfertioni oppositum, quo tota illius oratio infringitur, & tollitur.

7. Quando etiam Respondens adeò astutus est, ut convinci non possit, tum eo laborandum, ut opponentis partes in se suscipere cogatur. Quod fieri potest, quando circumspectè & callidè ab absurdo incipit disputare opponens: tum Respondens illius absurditates refutando, cogitur contra illas aliquid inferre, atque tum habet Opponens, quod petit. Eò autem Respondentem propterea urgeat, quia ad opponendum non est instructus, atque propterea illi argumenta deficitur, & Opponens erit Victor.

## CAPUT XXXIV.

*De Officio Respondentis.*

**D**E officio & arte Opponentis hætenus egimus: Iam quando Respondens se defendere & tutari possit, explicandum venit.

*Consistit*



*Consistit totum negotium in sequensibus Regulis:*

1. Respondens nihil proponat defendendum simpliciter & serio, nisi sit vel verum, vel verisimile.

2. Respondens repetere potest argumentum ab Opponente propositum, ut intelligatur, Opponentis sententiam rectè esse perceptam.

3. Responsio ad argumentum Opponentis, ita sit affecta, ut semper tangat nedum Disputationis; Ex generaliore enim & longius petita, facile Opponens occasionem sumere potest replicandi.

4. Præcipua pars sit Respondentis, ut concedat vera, neget falsa, distinguat ambigua, explicet obscura, vel illorum explicationem ab Opponente petat, tandemq; Impertinentia removeat.

5. Ad quæstiones, quæ plerunque captiosæ esse solent, non tenetur respondere Respondens, nisi tales inveniantur, quæ proximè ad rem pertineant, & perspicuæ ac planæ sint. Petendum itaque ab opponente, ut argumentis, non captiosis quæstionibus, pugnet.

6. Si opponens aliquid proposuerit, quod impossibile non sit, concedi illud potest.



test: Ita tamen, ut in omnibus concessionibus circumspectè agat Respondens, & ad consequens accuratissimè respiciat; Concesso enim antecedente, consequens concedere cogitur. Si autem ab Opponente seductus concesserit antecedens, consequens distinguat, quo illius argumentum neque affirmabit, neque negabit; & dabitur elabendi occasio.

7. Accuratè observet respondens, ut Opponentem aliquid, quod verisimile non videtur proponentem, ad probandum urgeat, neque hinc se ullo modo abduci sinat.

8. Caveat Respondens, ne per sophisticam Opponentis partes imitetur, & quando putet, nempe Respondens, se sustinere vices respondentis, opponentiè agat: eo enim, quia forsan ad opponendum instructus non sit, facile circumveniri & decipi potest.

9. Interrogationibus quoque abusus esse potest: Quando itaq; Respondens intelligit, Adversarium Opponentem regulâ illâ (*affirmanti incumbit probatio*) abuti, urgeat illum, ut suæ negationis det rationem. Nam & hinc valet; Nulla Regula tam firma, quin habeat exceptionem. Exceptionem itaque habebit posita Regula, quando quis manifestissimè vera negaverit.

Verum



Verum hæc & similia usus reddet manife-  
stiora, accuratiusq; confirmabit & docebit.



### SECTIO TERTIA.

#### De Syllogismo Sophistico.

##### CAPUT I.

#### *De Definitione Syllogismi So- phistici.*

**H**Actenus egimus de Syllogismis circa ma-  
teriam veram occupatis; sequitur, ut pau-  
ca de illo subiciamus, qui circa materiã fal-  
sam versatur, qui dicitur Syllogismus Sophi-  
sticus, sive Elenchus.

Elenchus est Syllogismus cum contradi-  
ctione conclusionis. Syllogismus itaque E-  
lenchi genus est, nempe forma illa Syllogi-  
smi communis Apodictico, Dialectico & So-  
phistico.

Differentia specifica docet non omnem Syl-  
logismum Elenchum esse, sed tantum illum,  
qui conclusionem alterius conclusioni con-  
tradicentem inferat.

##### CAPUT II.

#### *De Generali Divisione Elenchi.*

H 7

Elen-



**E**lenchus alius est verus, alius falsus.

Elenchus verus est, qui ex veris præmissis legitimè infert contradicentem, in eū finem, ut erroris adversarium arguere possimus, & quod illius sententia contra veritatem pugnet, demonstrare.

Elenchus falsus & sophisticus est, qui ex habentibus tantū speciem veri, vel non legitimam contradicentem, concludit.

Elenchus sophisticus alius in solā materiā peccat; alius in materia & forma simul.

Elenchi Sophistici consideranda est & Genesis & Analysis.

Genesis Sophistica est, vel in dictione, vel in re. Unde Elenchus falsus dividi solet in eum, qui in dictione est, & eum, qui est extra dictionem.

### CAPUT III.

#### *De equivocatione.*

**I**n dictione fit Elenchus, quando captio & deceptio est, vel est in vocabulorum constitutione: Vei in modo exprimendi sive pronunciandi & significandi.

Quando ex vocabulorum constitutione oritur Elenchus, tum ille est vel in nuda

voca-



vocabulorum impositione; vel in eorundem  
compositione & divisione.

Ex nuda vocabulorum Impositione oritur  
*Elenchus Equivocationis, & Amphibolice.*

Equivocatio itaque est locus Sophisticus,  
mediam terminum equivocum suppeditans.

Hec Elencho, & ex hoc loco argumenta-  
batur Eccius.

*Forma dat esse rei:*

*In Baptismo formale peccati tollitur.*

*Ergo ipsum peccatum in Baptismo tollitur.*

Consequentia negatur: Est enim Equivo-  
cationis fallacia in vocabulo (*forma*) Alia  
enim est forma substantialis, de qua univer-  
saliter verum est, ejus destructionem sequi rei  
destructionem: Dat enim esse rei. Deinde est  
forma accidentalis, de qua minor loquitur.

#### CAPUT IV.

##### *De Amphiboliâ.*

**A**mphibolia est locus Sophisticus, qui ser-  
monis, hoc est, integræ orationis ambi-  
guitate fallit. Quemadmodum enim Equi-  
vocatio in unico duntaxat est verbo; ita Am-  
phibolia in integra sententia,

Hac



Hâc fallaciâ utitur Oraculum Pyrrho Epyrotarum Regi olim redditum, ut meminit ejus Plutarchus, in Pyrrho;

*Ajo te Æacida Romanos Sincere posse.*

Ambiguum enim est, & tam de Romanis Æacida victuris, quàm de Æacide Romanos victuro, intelligi potest.

## CAPUT V.

*De Compositione.*

**E**x illegitimâ vocabulorum compositione, oritur fallacia compositionis. Est itaque Compositio locus sophisticus, qui verborum compositione insidias struit.

*Fides sine operibus justificat:*

*Fides sine operibus est res mortua, Ergo.*

*Res mortua justificat:*

Resp. Nulla est Consequentia propter fall. comp. Licet enim dicatur, fidem absque operibus justificare: Inde tamen non sequitur, fidem cum re mortuâ posse componi. Quando enim dicitur, fidem sine operibus justificare, inde tamen non sequitur, fidem sine operibus esse, atque adeo mortuam esse: Nam multa, sæpius simul esse possunt, quæ tamen simul non operantur.

## CAPUT VI.

*De Divisione.*

Ex



**E**X malâ Divisione oritur fallacia Divisio-  
nis. Est itaq; Divisio locus sophisticus, qui  
verborum divisione insidias struit, ut:

*Angeli gaudent super peccatore;*

*Ergo, Angelis gratum est peccatum.*

Resp. Est fal. divis. Additur enim in textu  
*Super peccatore agente pœnitentiam.*

## CAPUT VII.

*De Accentu, sive Prosodia.*

**E**X modo pronunciandi oritur fallacia ac-  
centus sive Prosodia, quæ in rebus, ad pro-  
sodiam pertinentibus, insidias struit, ut:

*Pilatus quaerit à Christo: quid est veritas?*

*E. Pilatus est iudex verus, et veritatis studiosus.*

Resp. Est fall. accentus: Latet enim in hac  
pronunciatione Ironia, quâ Pilatus non veri-  
tatis inquirendæ amorem expressit, sed Ironi-  
cè, ut iudex prophanus, omnia in Religione  
fabulosa esse existimavit.

## CAPUT VIII.

*De Figura Dictionis.*

**E**X modo significandi, oritur fallacia Figu-  
ræ dictionis.

Figura dictionis est locus Sophisticus, qui  
non idem eodem modo interpretatur, ut:

*Fide sumus Iusti: Fides est Opus:*

*Ergo, propter opera sumus justii.*

Resp.



Resp. Est fall. sig. dict. quia quādo dicitur, *Fide sumus justi*, non dicitur propter dignitatem operis nos esse justos, sed fiducia misericordiae promissae propter filium Dei.

## CAPUT IX.

*De Accidente.*

**F**allaciae in dictione fuerunt; sequuntur, quae sunt extra dictionem in ipsis rebus.

Fallaciae haec oriuntur vel ex confusione, vel ex mala collectione.

Ex confusione oriuntur fallaciae, quando confunduntur, vel Accidens cum essentia, & partes cum toto; vel causae & distinctae quaestiones.

Quando confunditur Accidens cum essentia, oritur fallacia Accidentis, cum quidvis rei & accidenti tribuitur, ut:

*David est beatus:*

*David est adulter; Ergo*

*Adulteri sunt beati.*

Resp. Est fall. accid. Licet enim ambo haec accidentia *beatitudo* & *adulterium* in Davide concurrerint; tamen adulterium non est causa Beatitudinis, sed longè alia ejus est effectrix.

CA.



## CAPUT X.

*A dicto secundum Quid, &c.*

**E**X confusione partium cum toto, oritur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, quando illud, quod secundum partem verum est, secundum totum, ut simpliciter verum, sumitur, ut:

*Exeat aula, qui sult esse pius.*

*Ergo pi in aulis vivere nequeunt.*

Resp. est fall. à dicto sec. &c. Et Hyperbole gignit errorem. Etsi enim in aulis inveniuntur mali: tamen aulae prorsus rejiciendae non sunt: Sed quia in sublimi loco constitutae eminent, vitia, quae in ijs committuntur, conspectiora sunt. Rectè enim Poëta:

*Peccatum tantò conspectius in se*

*Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.*

## CAPUT XI.

*De fallaciâ secundum non causam ut causam.*

**E**X confusione causarum oritur fallacia secundum non causam ut causam, quando nimirum causae confunduntur & in locum verarum falsae ponuntur, ut:

*Si nullum tempus esset, nox non esset.*

*Si nox non esset, dies esset.*

Si



*Si dies esset, aliquod tempus esset:*

*Ergo si nullum tempus esset, aliquod tempus esset:*

*Hoc autem absurdum est: Ergo prima illa propositio (si nullum tempus esset, nox non esset) erit falsa & absurda.*

Est fall. cause. Non enim prima propositio est causa absurde conclusionis, sed secunda: Quare non debet adversarius colligere, primam esse falsam & absurdam, sed secundam. Falsum enim & absurdum est statueri: *si nox non esset, dies esset*: nisi ex Hypothesi, hoc est, nisi posito motu solis circa terram: siquidem ante mundi creationem neque nox neque dies erat.

## CAPUT XII.

### *De Fallaciâ secundum plures interrogaciones.*

**E**X confusione multarum interrogacionum, oritur fallacia secundum plures interrogaciones, quando nimirum plures interrogaciones, ut una proponuntur: inde enim fit, ut qui simplicem responsionem reddit, tam affirmando, quam negando capi possit, ut:

*Traditiones vel sunt impie & abolende; vel retinende in Ecclesia.*

Si



Si hîc non respondeatur distinctè, sed simpliciter, esse abolendas & impias, multa contraria argumenta moveri possunt. Scilicet, quòd, sublatis traditionibus humanis, honesta disciplina labefacteretur. Distinctè itaque respondeatur: Esse alias traditiones impias & proflus abolendas; esse alias humanas & non impias, quæ profint ad bonam ordinem & honestæ disciplinæ conservationem, atque adeò conservari debeant.

## CAPUT XIII.

*De Fallaciâ Consequentis.*

**F**allaciæ ex malâ collectione ortæ, vel sunt Consequentis & Petitionis principii: vel ignoratio Elenchi.

Fallacia consequentis est, cum antecedens cum consequente retrò commeare, sed falso, putatur. Fit, si vel sensu decipimur; ut si ex *flavedine mel judicamus*; vel si Rhetores ex signis *αὐτῶν ὄψεσιν* argumentantur; vel si Syllogismorum regulæ violantur, & nulla terminorum est connexio. Ue: *Multa habuit Christus dicenda: Ergo sunt illa, quæ Pontificij somniant.*

## CAPUT XIV.

*De Petitione Principij.*

Peti-



**P**etitio principii dicitur, quando idem per idem, incerta per incerta, infirma per infirma, ignota per æquè ignota probamus. Ut: *Cras erit æquinoctium: quia nox diei æquabitur.* Petitio principij est, nam id reddit ratio, quod petitur in quæstione.

## CAPUT XV.

*De ignoratione Elenchi.*

**I**gnoratio Elenchi est, cum aliqua earum conditionum, quæ in Elencho & contradictione requiruntur, intermissa est: ut,

*Cælum tegit omnia: Ergo*

*Seipsum quoque tegit.*

Resp. Est Ignor. Elench. Communis enim sensus testatur, particulam universalem (*omnia*) restringendam esse, ut sit sensus: *Cælum tegit omnia, id est, quæ cæli ambitu continentur.*

## CAPUT XVI.

*De Elenchorum sophisticorum  
analysis & solutione.*

**N**on sufficit scire, qui loci fallaciam gignant, sed expedit insuper intelligere, quomodo istæ ex enumeratis locis petite  
arti-



artificiosè solvantur: quam solutionem analy-  
sin vocamus.

In speciali itaque omnium fallaciarum so-  
lutione, primò omnium respiciendum est  
ad formam Syllogismi, num congruas ad  
leges Syllogisticas. Deinde quarendum  
*πεῶτον ψευδῶς*. Tandem videndum,  
ad quam fallaciarum sedem sive locum per-  
tineat: Et tùm *Æquivocationis* error tolli-  
tur per enumerationem significatorum *Ἀμ-  
φιβολίας*, per distinctionem propriæ & tro-  
picæ locutionis; vel alio modo orationem  
interpretando & rectè in illa dictiones con-  
struendo: Compositiones & Divisiones, si  
demonstretur, dividi, quæ prius junctim,  
aut componi, quæ antea diversim erant pro-  
nunciata. Accentus clara & expedita pro-  
nunciatione, aut etiam interdum scriptio-  
ne: Figuræ dictionis fraus deprehenditur,  
si diligenter distinguantur prædicamenta.  
Accidentia porrò fallacia; quæ prima est ex-  
tra dictionem, tollitur 1. Negatione conse-  
quentiæ. 2. Distinctione inter idem aliquate-  
nus & diversum. 3. Quando in promptu habetur  
absurdum, quod ex eadem fallacia oritur. So-  
phisma à dicto secundū quid, tollitur, quando  
consideramus conclusionis contradicentem,  
quæ



quæ si simpliciter vera est, conclusio, simpliciter aut falsa, aut tantum secundum quid vera. Ignoratio Elenchi solvitur conclusione ad contradictionem, examinata in singulis conditionibus contradictionum. Petitioni principij occurritur, vel non concedendo propositiones, vel negando consequentiam, ob inutilem disputationis formam. Nam in omni petitione principij tantum duo sunt termini. Fallacia consequentis refutatur, 1. Negando consequentiam. 2. indicando vitium. 3. addendo rationem cur propositio converti non possit. In fallaciâ causæ τὸ μὴ αἴτιον concedendum non est, ut causa: si concessum fuit, dicendum, disputationis causâ id factum esse. Planè autem tollitur negatione consequentiæ, & ostensione veræ causæ. Tandem ad plures interrogationes nunquam simpliciter est respondendum: ἐρώτησις γὰρ μία πρὸς μίαν ἀπόκρισιν. Proinde initio distinguenda est quaestio, & ad singulas partes accommodanda responsio.

FINIS.



FL 947

ULB Halle

3


003 615 138



56,

1017/11








Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



MARTINI 3  
ris Academici,  
GICÆ  
PATETI-  
DICHOTO-  
GRATIAM  
STARUM  
OLUTÆ  
I DUO.  
distinctius, emacula-  
anctius.  
BERGÆ,  
leriana, Sumptib  
chureri, Anno  
XXII.

